
DE BELLO BOHEMICO FERDINANDI II. CÆSARIS AVSPICIIS FELICITER GESTO COMMENTARIVS,


Ex quo seditiosissimum Caluinianæ sectæ genium, & præsentem Europæ statum licet agnoscere:

AVCTORE

AVBERTO MIRAEO BRVXELLENSI,
S. Theologiæ Licentiato, Protonotario Apostolico. & Serenissimæ ISABELLAE CLARAE EVGENIAE, *Hispaniarum Infanti, à Sacris Oratorÿ.*


Editio altera auctior & emendatior.





COLONIAE AGRIPPINAE,
Imprimebat Henricus Krafft.

ANNO M.DC.XXII.



ILLVSTRISSIMO ET REVE-
rendiſſimo Domino


D. L V C I O SAN-SEVERINO

S. R. E. CARDINALI

ET

ARCHIEPISCOPO SALERNITANO.

HÆRESIS omnium vitiorum mater eſt ac ianua: qua nihil peſtilentius, aut magis exitioſum Reipublicæ Chriſtianæ accidere vnquam poteſt. Habet ea quidem pietatis ſpeciem, ſed virtutem eius, ſi Apoſtolo credimus, abnegat; fidelitatis præuaricationem gignit; ciuitates, populos, prouincias, regna perfidiæ ſuæ contagio maculat, labefa- *2.Tim.3.*



ctat, euertit. Quæ quidem mala omnia quàm certò Hæresim comitentur, ne præteritorum sæculorum vulnera refricemus, post *Caluinismi* ortum, GALLIA, SCOTIA, BELGICA, GERMANIA, BOHEMIA, MORAVIA, aliæque prouinciæ, olim sub S. Sedis Apostolicæ magisterio florentissimæ, nostra patrumque memoria, suo malo testatum reddiderunt.

Vt à GENEVA, illa sentina ac Lerna sectariorum, ordiamur, vix eam in vrbem *Caluinus* pedem intulerat, cū & Antistitis & Allobrogum Ducis omnem dominatum rebellis excussit.
1535. Id anno superioris sæculi tricesimo quinto contigit: quo tempore *Franciscus I.* Galliarum Rex, superatis Alpibus, *Emanueli Philiberto*, Sabaudiæ Duci, Augustam Taurinorum, multaq; alia oppida eripuit: vnde ingentes paulò pòst bellorum caussæ exstiterunt, præsertim cùm *Franciscus Sfortia*, Insubriæ Princeps, per eos dies sine prole defunctus, *Carolum V.* Cæsarem illius prouinciæ heredem scripsisset. Ita nimirum truculenta ista secta, qua nulla

vnquam

vnquam atrocior, aut ad turbas ciendas aptior, iam inde à prima infantia, dissidijs Principum, cœpit crescere, & lapsu temporis porrò creuit in immẽsum. Anno proximè sequenti, *Geneua* 1536.
sui iam iuris per tyrãnidem facta, cum vicinis *Bernensibus*, alijsq; Heluetiorum pagis pactum inijt, quod hodieq; perdurat; malo certè exemplo, quodque aliæ postea ciuitates, magno Principũ damno, sunt æmulatæ, aliæ conantur, excusso iugo, æmulari.

Ex antro & lacu Lemano pestilens Hydra in GALLIAM progressa, regnũ tot sæculis florentissimum seditionibus ac bellis tantum non euertit. Sub 1560.
annum salutis millesimum quingentesimum sexagesimum, *Hugonotti* (quo ominoso nomine Caluinianos Franci designant) apud Nannetes in Britannia Aremorica, haut veriti sunt, per effrenem atque inauditam hactenus audaciam, impia conferre capita ac consilia de regno illo omnium nobilissimo ad Helueticum regimen efformando. Nec vna alteraue regni prouincia ex eo tempore nefandam con-

iurationem ſuis finibus continere potuit: nobiliſsimas quaſque prouincias & vrbes capere aut tentare placuit. In his *Rotomagum*: quod dum Antonius *Borbonius*, Nauarræ Rex, obſidet, ictu ſclopi è muro tactus periјt.

Princeps *Condæus*, eius frater, qui ſeditioſis dux erat, auxilijs Germanorum ſubnixus, auſus & *Lutetiam Pariſiorum*, regni caput, obſidere: quæ & perijſſet, niſi *Philippus II.* Rex Catholicus Regi Galliæ, leuiro ſuo, ex Belgica ſuppetias miſiſſet, quibus Condæum ad Druidum vrbem conſecutus commiſſo prælio ſuperauit, captiuumque abduxit.

Aurelianum ad Ligerim vrbem amœniſſimam omitto: quam dum obſidet *Franciſcus* Dux Guiſius, pro Rege Vicarius, *Poltrotus* Guiſium, in traiectu fluminis, ſclopo lethali peremit. Auctorem facinoris ac ſuaſorem *Theodorum Bezam*, qui intra vrbem erat, parricida, poſt quæſtionem tormentis habitam, nominauit: quem Bezam conſtat & de *Catharina Medicæa*, Regina matre, cum omni prole Regia,

è medio

è medio tollenda non ſemel conſilia agitaſſe.

Vt de priuatorum cædibus nihil dicam, vel ipſi Hugonotti ſuis in libris fatentur, intra vnius anni ſpatium, religioſi ſexus vtriúſque millia viginti quatuor mactata, virgines coniugeſque ſupra duodecim millia violatas, templa viceſies mille, monaſteria bis mille, hoſpitalia nonaginta euerſa: denique in decennali illo bello ciuili, bis millena millia, ſeu duos hominum, omnis dignitatis, ſexus, & ætatis milliones vtrimque periſſe.

Ex continente in SCOTIAM, Britanniæ inſulæ partem, tranſeamus. Prouinciam hanc, iam inde à Victoris I. Pontificis Romani temporibus, Chriſti doctrina imbutam, *Ioannes Knoxus*, Caluini diſcipulus, fœdiſſimè primus infecit ac corrupit, ſectæ *Puritanorum* ea in inſula conditor; quos ſulphureo eſſe ingenio, *Iacobus* maioris Britanniæ Rex dictitare ſolet, MARIA STVARTA Regina, Iacobi mater, ſuo id

malo didicit: quorum quidem tyrannidem verita, cùm in Angliam ad *Isabellam* Reginam, patris amitinam, se contulisset, confictis per eosdem criminibus, contra leges omnes diuinas & humanas, in custodiam est tradita:
1566. vt ibi demum post annorum viginti carcerem, in arce Frodingia XII. Kalendas Martij capite plecteretur. De clancularijs ac vetitis coitionibus, de mucronibus eidem *Iacobo* Regi non semel intentatis, de templis ac monasterijs toto regno funditùs excisis, dicent alij.

In BELGICAM nostram ex Insula nauigemus. Belgis pro PHILIPPO II. Rege Catholico *Margarita* Parmæ Dux præerat. Ea contempta, *Geusij* (ne ab Hugonottis & Puritanis vincerentur) vnius Caluini patris vna soboles, anno supra millesimum quingentesimũ
1566. sexagesimo sexto, motus concitare cæperunt, Diuorum imaginibus *Antuerpiæ*, *Gandaui*, *Tornaci*, *Valentianis*, in *Geldria* item, *Hollandia*, *Zelandia*, *Frisia*, & alibi è templis, mense Augusto, deturbatis. Ad arma deinde ventum est: & ne

quid

quid ad scelus deesset, annis aliquot 1581. *die*
pòst, Batauorum, Frisiorum, aliorum- 26. *Iulij.*
que populorum fœderatorum Ordines coniurati, PHILIPPVM Regem, ob violatas (vt falsò spargebant & calumniabātur) imperij leges, principatu excidisse pronuntiarunt. Quod quidem nefarium decretum hodieq; armis non minùs pertinaciter quàm stolidè tueri conantur.

At verò vnicum istud exemplum suffecerit ad Reges ac Principes cuiuscumq; demum sint religionis, excitandos, vt ab isto Caluinianæ sectæ genio sibi caueant, &, seposita omni simultate, sua ac finitimorum Principum iura concordibus animis tueantur. Alioquin, quod annis superioribus, decretis etiam editis, ausi sint *Bataui*, & nuper *Bohemi*; audebunt & *Hugenotti* in Francia, *Puritani* in Britannia, & *Reformati* (vt homines moribus deformatissimi sese indigetant) in Saxonia nec deerit occasio, nec auctor. Enimuerò, eo ipso tempore, quo ista commentabamur, id ausi sunt *Rupellani* in Gallia: qui indictis contra mandatum

Regium comitijs, nouam in intimis regni visceribus Rempublicam sibi constituissent, nisi LVDOVICVS XIII. Rex Christianissimus, armis iustissimè contra rebelles sumptis, præuenisset, & facinus occupasset.

Apud RHÆTOS seu GRISONES, nouis per *Salicos* Venetorum fautores turbatis, *Suingliani Ioannem*, Episcopum Curiensem, *Rudolphum plantam*, & alios exilio mulctarunt; *Nicolaum Ruscam*, integerrimæ vitæ sacerdotem Sondriensem, dira morte sustulerunt, alios insuper non paucos Catholicos varijs pœnis affecerunt. Et verò plures supplicijs afficere aut pellere parabant, nisi *Iacobus Robustellus*, *Ioannes Maria Parauicinus*, & alij nobiles viri Catholici *Vallem-Telinam*
1620. occupassent.

Apud BATAVOS Gomaristæ in Arminianos, suos ante socios ac commilitones, barbarie plusquam Turcica hodieque sæuiunt.

In GERMANIA, falso Euangelicorum titulo tecti, fœdus inter se an-
1607. no M. DC. VII. contra Imperij de-

erecta inierunt, in comitijs magna arte lites ſeruerunt, & quibus intra limites Imperij, iuxta veteres leges, ne commorari quidem licebat, ceteris imperare, & veteres inquilinos, Catholicos inquam & Confeſſionis Auguſtanæ homines pellere, omnia demum euertere ſtuduerunt. Vtque nihil intentatum vel inauſum relinquerent, *Fredericum* Comitem Palatinum Rheni, quē velut Idolum quoddam ſuum colebant, ad regium Bohemiæ thronum euexerunt, corona Imperiali eidem deſtinata: *Gabrielem* inſuper *Bethlenium*, clientem ac vaſallum Turcicum, ad inuadendam Hungariam, excitarunt, & *Vinarienſes* Saxones, ob rebellionem Electoratu deturbatos, ad ſpem recuperandæ dignitatis euocârunt. Vt verò *Oſmanem* Turcarum Imperatorem ſibi obſtringerent, & copias auxiliares elicerent, *Stephano Corlato* Byzantiū miſſo, confœderatorum nomine, eidem *Filecum, Nouigradum, Palancam, Schatzinum*, aliaque Hungariæ propugnacula obtulerunt. Hæc & alia, aulicos inter luctus, qui-

quibus optimum Principem noſtrum ALBERTVM, magno orbis Chriſtiani damno, nuper defunctum proſecuti ſumus, & porrò proſequimur, animo verſans, iſtum DE BELLO BOHEMICO Commentarium horis ſubceſiuis digeſſi, quem nunc ad Te, ILL.me & REV.me DOMINE, reuerens adfero.

Quòd vt facerem, ſingularis illa tua humanitas, quam coram in vrbe patria expertus ſum, & placidiſſimi ſuauiſſimique mores, pietas item priuata ac publica, quam vniuerſa BELGICA noſtra, cum admiratione ſpectauit, me impulerunt. Celebrant enim hodieque eximiam veſtram modeſtiam, ſuaui quadam grauitate temperatam, adhæc virtutem, candorem, & integritatem ſacri iuxta ac politici noſtratiũ ordines.

Neque id ſanè mirum videri cuiquam debet, vt *fortes creantur fortibus*, à nobiliſſimis profectum maioribus, præſtantiſſimam probiſſimamque indolem ac virtutem ab iiſdem traxiſſe. Nam quis neſcit, maiores olim tuos

magnam

magnam Calabriæ partem, vnà cum Principatu SALERNITANO tenuisse? Quis ignorat hodieque nobilissimum BASINIANI Principatum, (qui inter regni Neapolitani Grãdes, vt loquuntur, est primus) illustrissimos SAPONARIAE, & CLARI-MONTIS Comitatus, aliosque amplissimos titulos ab ILLVSTRISSIMAE ac REVERENDISSIMAE D. VESTRAE nepotibus possideri? Taceo gentis vestræ Cardinales tres laudatissimos, STEPHANVM, FREDERICVM, & ANTONIVM; omitto ROBERTOS, ROGERIVM, VVENCESLAVM, & alios suprema militari præfectura clarissimos; vt qui sciam,


Et genus & proauos, & quæ non feceris ipse,

vix tua Te censere. Virtutem, quæ sola verè nobilitat, solam prę oculis habes, & probus audire mauis, quàm illustri genere natus. Agnouit id PAVLVS V. Pontifex Maximus, qui Te, post Salernitanum Archiepiscopatum multis lustris laudatissimè rectum, apud sanctissimos Principes nostros ALBERTVM & ISABELLAM CLARAM EVGENIAM Nuntij Apostolici munere fungi vo-

gi voluit; agnouit & GREGORIVS XV. magnus integritatis æstimator, qui Te nihil tale cogitantem, nedum ambientem, initio sui Pontificatus, Romam euocauit, & Vaticano Senatu, adeoque Vrbe & Orbe toto applaudente, sacra purpura donauit. Plura nō addo, ne aut gratiam captare, aut palpare videar: vnum venerans Deum precor, vt plures Ecclesiæ Romanę, adeoque Reip. Christianæ SAN-SEVERINOS largiatur. In quo voto finio, cetera in pectore recondens. Bruxellis postridie Kal. Ianuarias, anno salutis M. DC. XXII.

ILL^mæ ac REV^mæ D^nis V^æ
deuotissimus cliens

AVB. MIRAEVS.



DE BELLO BOHEMICO FERDINANDI II. CÆSARIS AVSPICIIS FELICITER GESTO

COMMENTARIVS.



E fœda ac deteſtanda Rebellione, quæ bina regna, *Bohemiæ* & *Hungariæ*, & quatuor ampliſsimas prouincias, *Morauiam*, *Sileſiam*, *Luſatiam*, & *Auſtriam*, vno velut diluuio inuoluit, dicturus, non vtar præambulis, nec vel vllum adhibiturus ſum verborum circuitum. Rem ipſam ſtatim aggrediar.

Anno ſalutis milleſimo, ſexcenteſimo, decimo octauo, dum MATTHIAS Imperator Viennæ afflictiore valetudine languet, & Poſonij in comitijs diei indictio, qua FERDINANDI, iam tum proclamati electique Regis Hungariæ, coronatio celebranda eſſet, omnium expectatione diutius extrahitur; *Bohemi* coniurati (quorum princeps *Ann. 1618.* *Bohemi rebellant.*

ceps erat Matthias Comes Turrianus) globo armatorum facto, arcem Pragenſem, cum armamentario ac curia regia, die 23. Maij occupant, inque condaue (quod Cancellariam vocant) vi irrumpentes, *Guilielmum Slauatam*, Cameræ Bohemicæ Præſidem, *Iaroſlaum Borzitam*, regni Mareſcallum, & *Philippum Fabricium*, Secretarium, è feneſtra deturbant, altitudine quadraginta amplius cubitorum. Omnes tamen ſalui atque incolumes, Deo ſuos protegente, magna omnium admiratione euaſerunt.

Viros tres primarios è feneſtra deturbant.

Bohemis rebellibus poſtea acceſſere *Moraui, Sileſij, Luſatij, Auſtriaci ſuperiores*, ac demum *Hungari*, Gabriele Betlenio Tranſiluaniæ Principe, Turcarum cliente ac vaſallo, ad ſpem regni Hungarici euocato. Sed & Osmanes, Turcarum Sultanus, Chriſtiani nominis hoſtis hereditarius, per legationes eſt ſollicitatus, *Paleſſo, Corlato*, & alijs Conſtantinopolim miſsis: oblatumque illi tributum annuum, modò prouinciarum ſex confœderatarum protectionem, aduerſus Ferdinandvm, ſuſciperet. Nimirum hic genius ſectæ Caluinianæ eſt proprius ac perpetuus, viam Turcis ſternere: quod *Guil. Reginaldus* in ſuo Caluino-Turciſmo abundè docuit, vt de emblemate illo apud Geuſios in Belgio, & Hugonottos in Gallia vſitato nihil dicam, quo ſe Turcis potius

quàm

quàm Papiſtis acceſſuros, non minus ſtultè quàm impiè profiteri ſolent.

Ceterum Bohemos, alioſque rebelles MATTHIAS Cæſar eiuſque ſucceſſor FERDINANDVS, miſsis primùm legatis ac litteris, ad obedientiam reducere ſunt conati: quod cum fruſtra tentaſſent, ad apertum vtrimque bellum ventum eſt, magno vniuerſæ Europæ motu.

Anno 1619. MATTHIAS Imperator, nulla relicta prole, die 20. Martij Viennæ moritur. ALBERTVS Belgarum Princeps, à IOANNE SVICHARDO, Archiepiſcopo Moguntino, & alijs Electoribus delatum Imperium, raro & laudabili exemplo, reſpuit. FERDINANDVS itaque, Caroli Archiducis filius, ex Anna, Alberti Bauariæ Ducis filia, Matthiæ patrueli ſuo, à Septemuiris Francofurti congregatis, die S. Auguſtini, qui eſt 28. Auguſti, ſufficitur. Eidem prouincias omnes Auſtriacas, per obitum Matthiæ fratris ad ſe deuolutas, idem ALBERTVS, inaudita hactenus liberalitate, viuens ceſsit, in bonum Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ. Libet hic ſubnectere quę de XII. Cęſaribus Auſtriacis nuper ſcripſi, in gratiam curioſi Lectoris.

Matthias Imp. moritur.

Ferdinandus II. ſuccedit.

XII. Cæſares Auſtriaci.

Rudolphus I.

GENS AVSTRIACA velut fato quodam ad Imperium orbis terrarum nata, duodecim continua penè ſerie Cæſares Auguſtos

dedit, magno vniuersæ Reip. Christianæ commodo. Primus supremum istud honoris & gloriæ fastigium RVDOLPHVS Habsburgensis apud Heluetios Comes, anno partæ salutis 1273. familiæ suæ intulit, & gentem sceptris regnisque fatalem propagauit. Quo merito? In Dei Opt. Max. consulta inquirere nefas esse scio, nec faciam: sed non est inquisitio, quæ superiorum ætatum historici litteris consignarunt, commemorare.

An. 1261. in modica adhuc fortuna, & non nisi Comes Habsburgensis, multiplex veræ pietatis ac religionis studium RVDOLPHVS prætulit: cui secuturam decursu temporum magnitudinem vaticinia vocesque diuinæ adscripserunt. Venatum fortè, die pluuio, & vijs fractis ac sordentibus, eques iuerat. Ecce Parochus, SS. Eucharistiam extremum ægro solatium laturus, torrentis ad ripam, pedes occurrit. Quo viso pijssimus Comes, non sine indignatione, equo desilit, & *Me vehi*, inquit, *Te qui Saluatorē meum portas, pedibus incedere, indecorum sit atque impium. Conscende itaque, & equum hunc cape.* Paret Sacerdos, & præeuntem Comes, capite nudato, piè sequitur, atq; ad humile ægri tugurium deducit,

Sacerdos, ad templum redux equum restituere cùm vellet, *Absit*, inquit, *vt illum ego*

equum

equum conſcendam, quem ſcio Dominum & Creatorem meum geſtaſſe. Quod ſi præter merita, hæc tibi à me venire cenſes, teque adeo munere iſto indignum, pios in vſus conuerte. Illi nempe ego dedi ac dicaui, à quo mihi honores, opes, vita, & anima. Parochus itaque munus admiſit, & mente diuinitus monita, Comiti bene abeunti dixit, ſimulque Imperium orbis terrarum ipſi ac poſteris prædixit.

Poſtero die RVDOLPHVS ad *Farenſe* monaſterium (quod inter Tigurũ & Aquas ſitum, Lindemago adiacet) ſe contulit, virginem ſanctimonialem, propinquam & ætate grandem inuiſurus. Quę vbi eũ vultu ſereno excepiſſet, *At tibi ego*, inquit, *heſterno die Numen cæleſte placatũ beneuolũq; redditum denuntio, proq; pietatis ac liberalitatis officio, tibi poſteriſq; tuis ſummũ in terris honorẽ ac faſtigiũ promitto. Perge porro, atq; vt cœpiſti viam inſequere.*

Parochus verò poſtea, cùm VVERNERO Moguntino Archiepiſcopo, & S.R.I. Electori, à Sacris ac Secretis eſſet, crebros de RVDOLPHO ſermones, non ſolum apud herum, ſed alios quoq́ue Principes habuit, eius virtutes ac pietatem laudibus in cęlum efferens. Quo factum, vt agente in primis eodem Electore Moguntino, Imperator anno. 1273. renunciaretur. Sic ferè Franciſcus Guillimannus lib. 6. Hiſt. Habſburgicę, ex antiquis & probæ notæ codici-

bus manuſcriptis. Alij ad Sueuicam Vatem hæc referunt: quidam & ſomnio ſequentis noctis (qualia non pauca, à Deo immiſſa, in ſacris profaniſque hiſtorijs legimus) Comitem ipſum diuinitus edoctum ſcribunt. Vt vt ſit, res illa certa eſt ac rata, & fidem etiam ab euentis (quæ certiſsima vaticiniorum interpretatio) nunc habet. Itaque nemini mirum videri debet, Caluinianos, ſectæ Berengarianæ propugnatores acerrimos, Sereniſsimam Familiam Avstriacam (quæ vt Deo in primis magnitudinem ſuam debet acceptam, ſic cultus eiuſdem, in V. Sacramento, eſt ſtudioſiſsima) tanto odio proſequi: quamquam fruſtra, irritoque ſemper conatu, Deo ſcilicet illam protegente.

Ceterùm Rvdolphvs Cæſar creatus, Ottocarum Bohemiæ Regem potentiſsimum bello vicit; & prouincijs, quas is ſtante Interregno occuparat, recuperatis, Alberto filio ſuo maiori Auſtriam, Stiriam, & Carniolam, Rvdolpho natu minori Sueuiam, & Mainhardo Tirolenſium Principi Carinthiam anno 1282. in comitijs Auguſtanis contulit. Obijtque plenus gloriæ anno 1291. Spiræ Nemetum conditus. Obſeruatum à Gilberto Genebrardo in Chronologia, & alijs, Familiam Auſtriacam eo ipſo tempore orbi Chri-

bi Christiano diuinitus datam, quo Ottomannica publico damno emersit.

Albertus I. RVDOLPHVM secutus est ALBERTVS I. filius, qui Adolphum Nassauium, prælio victum, regno exuit, obijtque anno 1308. Spiræ itidem sepultus.

Fredericus Pulcher. FREDERICVS cognomento PVLCHER, Rudolphi nepos, Rex Romanorum, eo nomine Tertius, anno 1314. eligitur, & a Ioanne XXII. Papa confirmatur. Cum LVDOVICO IV. Bauaro collega an. 1325. transegit, vt pari vterque potestate imperaret. Obijt anno 1330. conditus in Carthusia Marbacensi à se condita, apud Viennam Austriæ.

Succenturiati deinde Luceburgici; quos ALBERTVS II. Sigismundi Imperatoris gener, excepit: cui, intra vnius anni spatium, tria regna, Bohemię, Hungarię, & Romanorum, rara quadam felicitate, obtigerunt. Viuere desijt an. 1439. Albæ in Hungaria.

Fredericus IV. Exinde sobrinus illius FREDERICVS cognomine LONGAEVVS sceptra tenuit, quo nullus Cæsarum, post Octauianum Augustum, diutius imperauit, quique postremus ex Germanicis Imperatoribus in vrbe Roma coronam Imperij accepit. Obijt anno Christi 1493. Imperij 53. ætatis. 78.

Reliquit is filium MAXIMILIANVM eo-

Maximilianus I. nomine Primum, qui potentiam iſtam, toti hodie orbi formidabilem, in Auſtriam gentem tranſtulit, *Mariæ Burgundicæ*, Caroli Audacis filiæ, matrimonio auctus. Dignus profectò ea fortuna Princeps, vtpote virtutibus, & animi magnitudine, itemque benignitate, cum optimis quibuſque omnium ſæculorum Principibus comparandus. Is filium reliquit *Philippum* cognomento *Pulchrum*, cui *Ioanna* vxor, Ferdinandi Regis Catholici filia, Hiſpaniam, cum India, dotalem attulit. Vita exceſsit Maximilianus an. 1519.

Carolus V. MAXIMILIANO in Imperio ſuffectus eſt ex Philippo filio nepos CAROLVS V. vero elogio Maximus, cuius laudes leuiter hic libaſſe, ſit detraxiſſe.

Ferdinandus I. Max. II. Rudolphus II. Ferdinandus II. Carolus porrò FERDINANDVM fratrem, Ferdinandus filium MAXIMILIANVM, eo nomine Secundum, Maximilianus RVDOLPHVM II. itidem filium, Rudolphus MATTHIAM fratrem habuit ſucceſſorem. Patrueli ſuo, Viennæ an. 1619. die 20. Martij defuncto, ſucceſsit FERDINANDVS II. Cæſar, à Septemuiris Francofurti congregatis, die 25. Auguſti, electus. Cui prouincias omnes Auſtriacas, per MATTHIAE fratris obitum ad ſe deuolutas, vt dixi, ceſsit ALBERTVS, Belgarum Princeps; raro ſanè ac laudabili exemplo, ſi vni-

uersæ Reipublicæ Christianæ bonum spe-
ctemus, vt is spectauit.

Optimo itaq; iure DOMVS AVSTRIACA ROMANORVM IMPERATORVM (quos nouem continua serie dedit, & plures, vt vouemus, dabit) PARENS AC NVTRIX, frendente nequidquam inuidia nuncupatur.

Hic priscæ PIETATIS *honos. Nec terminus vnquam*
AVSTRIACAE *ditionis erit, quã Sueuica Vates,*
Fatidicaque pius firmauit voce Sacerdos.

Haut abs re fuerit his subiũgere Prognosticõ, quod *Ioãnes Ranzouius*, natione Danus, in libro suo Coloniç 1585. edito cõmemorat.

Prognosticon de gente Austriaca.

Friderici II. Imperatoris Astrologus, ab eo interrogatus, cur tantum honoris Rudolpho Habspurgensi Comiti pauperi, in aula sua tunc versanti, exhiberet; respondit: Mortuis tuis filijs, quorum adhuc decem supersunt, ipse & posteri eius ad tua regna peruenient. *Nam anno Christi 1273. Kalendis Octobris,* RVDOLPHVS *à Germanis Principibus Francofurti, in Regem Romanum eligitur, cum Basileã obsideret. Et hodierno adhuc die videmus* RVDOLPHI *posteros regnum Neapolitanum, & Ducatũ Austriæ & Sueuiæ, vna cum Imperio & regno Neapolitano, obtinere. Modernus enim Imperator ab eo ditiones hæreditatis iure accepit, & Philippus Hispaniæ Rex ex eodem natus, regnum Siculum & Neapolitanum nactus est.* Hactenus Ranzouius.

Post MATTHIAE porrò Cæsaris obitum, Bohemi rebelles, dum suauem ac moderatum gẽtis Austriacæ dominatum prorsus excutere conantur, FERDINANDVM, legitimum Regem suum ann. 1617. iuratum ac coronatum, per summam iniuriam atque audaciam abdicant, libellis plurimis in facti defensionem euulgatis. Caussa abdicationis potissima à iure electionis liberæ petita est, quod inscitè sibi factiosi arrogare sunt conati. Culpata item comitiorum regni integritas, in quibus FERDINANDVS publicè susceptus fuerat. Regem itaque nouum sibi quærentes, cùm à IOANNE GEORGIO, Electore Saxoniæ, & MAXIMILIANO Bauariæ Duce, quibus regni coronam detulerant, reiecti essent, FREDERICVM V. Comitem Palatinum Rheni, die 27. Augusti, Pragæ congregati, sibi Regem elegerunt, & die 4. Nouembris coronarunt.

Bohemi Ferdinandum II. abdicant.

Palatinus à rebellibus eligitur Rex Bohemiæ.

Mox ad arma vtrimque fortiter ventum est, & tota pænè Europa in partes tracta. Protestantes seu Euangelici (vt sese vulgò nuncupant) Germaniæ Principes confœderati (quos inter eminebant, IOANNES FREDERICVS, Dux VVirtembergæ, MAVRITIVS Landt-grauius Hassiæ, CHRISTIANVS Princeps Anhaltinus, IOACHIMVS ERNESTVS, Marchio Anspacensis, & GEORGIVS FREDERICVS, Mar-

chio

chio Durlacẽſis) Palatini partibus,vnà cum *Britannis, Batauis*, & *Ciuitatibus* aliquot *Imperialibus*, ſeſe adiunxerunt. SAXO & BAVARVS in fide, Cæſari & Imperio debita, magno Reipublicæ Chriſtianæ bono, perſtiterunt. Saxonem iniuria propriumq; periculum ſtimulabat,quòd Vinarienſibus,ex *Ioannis Frederici*, per CAROLVM V. Electoratus titulo priuati, ſtirpe prognatis, Bataui,&alij per Germaniam Caluiniani,ſpem feciſſent recuperandæ dignitatis. ALBERTVS Belgarum Princeps primò CAROLVM LONGEVALLIVM, Comitem Buquoium, fortiſsimum belli Ducem, poſtea bis mille equites, & peditum ſex millia in Bohemiam miſit. Nec defuere ſororio ſuo SIGISMVNDVS Poloniæ Rex,& COSMVS Magnus Etruriæ Dux: quorum prior *Coſacorum* equitum millia quatuor oportunè tranſmiſit. PAVLVS V. Pontifex magnam pecuniæ vim, ex Italiæ decimis Eccleſiaſticis collectam ſuppeditauit. Cumq; bellum traheretur, & rebellio, vt fieri ſolet, lapſu temporis incrementum ſumeret, PHILIPPVS III. Rex Catholicus, ne periclitanti Eccleſiæ aut genti ſuę deeſſe videretur, præter vndecim armatorum millia,quæ in Auſtria alebat,copioſiſsimum apud Belgas exercitum, ad inuadendum Palatinatum, vireſq; hoſtium diſtrahendas, conſcribi iuſsit.

Comes Buquoius in Bohemiam mittitur.

Mansfeldius cum suis à Buquoio caditur.

Menſe Iunio antequam auxiliares è Belgio copiæ ad caſtra Buquoiana aduenissent, *Ernestus Mansfeldius* cum ſuis in Bohemia à Buquoio vincitur ac fugatur, mille ampliùs hoſtibus cæſis. Fuit ea victoria ſanè peropportuna, ad Ferdinandi II. Cæſaris electionem accelerandam, & ad *Matthæum* Comitem Turrianum à Viennæ obſidione reuocandum.

Idem Buquoius, initio menſis Nouembris, mille circiter Húngaros, qui Danubium tranſmiſerant, in prælio occidit, reliquis bis mille fugatis.

Arminianorum & Gomariſtarum factiones.

Caluiniana porrò Hæreſis, qua nulla vnquam crudelior aut peſtilétior exſtitit, non contenta Catholicorum cædibus, nec eorum ſanguine per Bohemiam vicinaſque prouincias ſatiata, hoc ipſo anno per Batauiam in ſua quoque membra, in *Arminianos* inquam, ſeu *Remonſtrantes* atrociſsimè ſæuijt. Cœpit hoc bellum, anno circiter milleſimo ſexcenteſimo quarto, ſcholam primò Leidenſem turbare, theſibus contrarijs de *prædeſtinatione*, *Gratia*, *Libero arbitrio*, alijſque fidei capitibus, per Iacobvm Arminivm, & Franciscvm Gomarvm, Pſeudo-Theologiæ Caluiniſticæ ea in vrbe Profeſſores, vtrimque propoſitis: quod poſtea Rempublicam grauiter afflixit, & vniuerſas Belgij pro-

prouincias confœderatas mirificè turbauit.

Ante omnia, diu multumq; inter partes disceptatum fuit, an *Catechismus Heidelbergensis*, & *Confeßio Belgica Ecclesiæ reformatæ*, vt vocant, recenseri ac corrigi deberent: quod vt fieret, *Arminiani*, Ordinum seu Statuum fauore suffulti, anno 1606. in Pseudo-Synodo Gorcomiana obtinuerunt. Durũ id *Gomaristis* videbatur, vtpote qui scirent dictam *Confeßionem Belgicam*, ab illa sua reformata scilicet Ecclesia iam olim approbatam esse, & eo loco habitam, vt non de ipsa, sed ex ipsa & secundum ipsam esset iudicandum. Ex quo consequi videbant, si Catechismus & Confesio ista recenserentur ac corrigerentur, Ecclesiã suam non esse iam reformatam, vt stolidè prætendunt sed reformandã.

Hinc enata postmodũ illa inter partes odia, quæ, Gomaristis per arma præualentibus, *Barneueltium* postea carnificis manu sustulerunt, *Hogerbetium* & *Grotium* ad perpetuos carceres damnarunt, & centũ amplius Ministros seu Prædicantes Arminianos in exilium abegerunt. Iusto sanè Dei iudicio, vt qui à vera veterique Ecclesia, & naturali suo Principe recesserant, à suis ipsi socijs ac consortibus plecterentur.

Animis itaque hinc inde mirum in modum exacerbatis, odijsque crescentibus, anno 1617. *Harlemum*, *Leida*, *Roterodamum*,

Gauda,

Gauda, *Horna*, & aliæ factionis Arminianæ ciuitates Hollandicæ, fœdus inter se ineunt, & militem conscribunt, ad vim à ceruicibus suis arcendam, suaq; aduersus furiosos Gomaristarum impetus tutanda. Idem postea *Vltraiectini*, & alij fecere; magno quidem conatu, sed non ea constantia ac fortitudine qua conueniebat, si salui esse vellent. Anno namque proximè sequenti, Vltraiectinis, per Mavritivm Principem Arausionensem, in ordinem redactis, & arma ponere iussis, *Ioannes Barneueltius*, Hollandiæ Aduocatus, vt nuncupant, alter veluti Cato hactenus à Batauis habitus, *AEgidius Ledenbergius*, Vltraiectinorum in reb. politicis moderator, *Rumoldus Hogerbetius* Leidensis, & *Hugo Grotius*, Roterodamensis Syndicus, primaria Arminianorum capita, die 28. Augusti in Haga-Comitis, iussu eiusdem *Mauritij* capiuntur, & strictißimæ custodiæ mãcipantur. Audax facinus, nec Caluinianis insolens, quodque Gomaristis feliciter cessit. Paulò enim pôst Arminiani paßim omnes ex magistratibus, publicisque functionibus, contra omnia iura ac priuilegia prouinciæ, hactenus contra Hispanos adeò decantata, sunt exturbati: *Ioannes Vtenbogardus*, aulicus apud Hagenses Prædicans, *Iacobus Taurinus*, Vltraiectinorum primarius Minister, *Petrus Bertius*, Professor Leidensis, & alij

Barneueltius, Grotius & alij capiuntur.

Arminiani è magistratibus pelluntur.

Præ-

Prædicantes Arminiani, ſubita illa rerum mutatione metuque perculſi, in Brabãtiam, Galliam, ac Germaniam diffugerunt. Ex his *Taurinus*, Bilancis & aliorum libellorum contra Gomariſtas auctor, altero poſt fugam mẽſe, in villa ſuburbana apud Antuerpiam, puſillanimitate perijt. *Bertius*, animo grandior ac fortior, Pariſios abijt, & biennio pòſt ad Catholicorum caſtra tranſijt.

Pſeudo-Synodus Dordracena inchoatur.

Hoc ipſo anno, die 15. Nouembris, *Dordraci*, Hollandiæ oppido vetuſtiſsimo, Pſeudo-Synodus à Caluinianis contra Arminianos eſt inchoata: eodemque tempore COMETA, malorum Reipublicæ Chriſtianæ imminentium nuntius, in orbe noſtro ſpectari cæpit, omnium ſermonibus, multorum ſcriptis celebratus. Dordracenis decretis per legatos ſuos ſubſcripſerunt *Geneuenſes, Heidelbergenſes, Marpurgenſes, Bremenſes, Embdani, Naſſouiani, Tigurini, Bernenſes, Baſileenſes, Schafhuſiani*, & *Georgius Landauenſis in Anglia Pſeudo-Epiſcopus*: ex quibus tamen plerique, ſi non omnes, domi collegas habent aliter ſentientes. O diſcordem & Nouatoribus dignam concordiam!

Prætenſam Synodum hanc ſcriptis ſuis mirum in modum præter Catholicos, Arminiani & Lutherani exagitarunt. De capitibus porrò inter Arminianos & Gomariſtas controuerſis quid ſentiendum, eruditè

docuit

docuit IOANNES MALDERVS, Episcopus noster Antuerpiensis, in suis Anti-Synodicis, per Plantinianos an. 1620. editis.

Finitur an. 1619. die 6. Maij.

Vt porrò decreta sua Patres illi Conscripti, mitissimi scilicet ingenij homines, sanguine consignarent, paucis post finitam Pseudo-Synodum diebus, in BARNEVELTIVM, quem Belgicæ prouinciæ confœderatæ suum veluti Lycurgum hactenus coluerant, capitalis sententia fertur: & contempta LVDOVICI XIII. Galliæ Regis, per Legatum suum Hagę residentem, intercessione, miser die 13. Maij publicè, in area palatij Hagensis, infami carnificis manu decollatur; grata Hispanis victima, quos capitali odio fuerat prosecutus. Eo enim nomine plurimùm Gomaristis profectò debemus, quòd acerrimum ac prudentissimum Catholici Regis hostem, de propensione erga illum falsò accusatum, suis ipsi manibus è medio sustulerint.

Barneueltius decapitatur.

Ledenbergij cadauer suspenditur.

Hogerbetius & Grotius ad perpetuos carceres damnantur.

Exinde cadauer LEDENBERGII, qui sibi ipsi in carcere vim intulisse dicebatur, nouo atque inaudito antea exemplo, sale conditum, loculoque inclusum, ex furca suspenditur. HOGERBETIVS & GROTIVS ad perpetuos carceres damnantur, CORNELIVS MILIVS, Barneueltij gener, in obscuri nominis insulam Zelandicam ablegatur: *Hanius* Harlemensis Syndicus, *Adolfus VValius,*

lius, & alij primarij in Republica viri proſcribuntur. *Vtenbogardus, Greuinchouius, Vorſtius, Epiſcopius*, & alij amplius centum Miniſtri exilio mulctantur: deniq; nobiles ac ciues Arminiani omnes publicis muneribus, nullo iuris ordine ſeruato, priuantur. O eximiam Caluinianorũ in ſuos benignitatem! à quibus caueant ſibi, ſi ſapiunt, non modò *Catholici*, ſed etiam *Lutherani, Hußitæ, Anabaptiſtæ*, & alij cuiuſcumque profeſsionis. *Plurimi proſcribuntur.*

Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

Sed lacertos etiamnum mouent, & porrò mouebunt Arminiani, vtpote non cauſſa, ſed ciuili ac militari potentia victi.

Ex captiuis ſupra memoratis, GROTIVS quem Ordines confederati, poſt cædẽ Barneueltij, arci Louenſteniæ, cùm *Hogerbetio*, incluſerant, miro quodam commento ſeu ſtratagemate, per excubias & cuſtodias inimicas, in arca ſeu cuſtodia vectoria ab ipſis cuſtodibus ſuis, ſed ignaris, ex hoſtili cuſtodia, & pænali carcere elatus, an. 1621. die 22. Martij liber euaſit, ac biduo pòſt ſaluus Antuerpiam peruenit, indeq; Lutetiam ſe contulit; Arminianis paſsim applaudentibus, Gomariſtis verò nequidquam frendentibus atq; indignantibus. Super qua mira liberatione exſtat ingenioſus Luſus poeticus collegæ noſtri IOANNIS HEMELARII, Canonici Antuerpienſis, typis nuper Plantinianis editus. *Grotius ciſta effertur è carcere.*

Anno

Pauli V. decretum de decimis.

Anno M. DC. XX. PAVLVS Papa V. Idibus Ianuarijs publicat litteras Indictionis ſex decimarum (vt habet diploma) ſuper fructibus ac penſionibus Eccleſiaſticis Italiæ, in ſubſidium FERDINANDI Cæſaris contra Bohemos & alios rebelles.

Herbipoli & Mulhuſæ comitia.

Februario menſe habita ſunt à noſtris comitia *Herbipoli* in Franconia, dein *Milhuſij* ſeu *Malhuſæ* in Thuringia: quibus poſterioribus, prçter Electores Eccleſiaſticos, & SAXO, cum LVDOVICO, Landt-Grauio Darmſtadienſi, interfuit. Actum in ijs de communi contra Caluiniſtas fœdere, qui vniuerſum Imperij ordinem euertere, Germaniam Turcicæ ſeruituti ſubdere, antiquã Catholicorum Religionem, & Auguſtanam Confeſsionem non occultis cuniculis, vt hactenus, ſed aperto Marte profligare conarentur.

Comes BVQVOIVS interea Bohemos & Auſtriacos rebelles à Vienna arcebat, die 11. Februarij prçclara *Longoluſii* victoria potitus, & altera, eaq; palmari, in Dominica Palmarum. In quo poſteriore prælio, equus eius quinque vulneribus eſt confectus. Vt autem exercitui hoſtili admodum numeroſo Buquoius impar non eſſet, ſubmiſſæ ſunt ex Italia, iuſſu PHILIPPI III. Regis Catholici, binæ veteranorum militum legiones, vna Belgarum ſeu VVallonum, ſub

GVILIELMO VERDVGO, altera Neapolitanorum, ſub CAROLO SPINELLO: quibus duabus legionibus, vnà cum Buquoiana pariter Belgarum, Pragenſis victoriæ, hoc ipſo anno menſe Nouembri obtentæ, laus magna ex parte debetur.

Menſe Iunio MAXIMILIANVS Bauariæ Dux, exercitus Catholici ductor, adnitentibus Gallis ad Cæſarem Oratorib. per id tempus Vlmæ hoſpitantibus, cum fœderatis Principibus Proteſtantibus, qui caſtra ad Vlmam habebāt, pacem fecit, vt Auſtriæ ac Bohemiæ rebelli bellum inferret, & *Buquoio* laborāti tempeſtiuè ſuccurreret. Compoſitis igitur Germaniæ reb. copias partim Danubio, partim terra *Paſſauium* abduxit, & Oratoribus *Lincium* ad Ordines miſsis, mādata, quę à Cęſare habuit, expoſuit, Auſtriāque ſuperiorem mox ingreſſus, rebelles adſcitæ veſaniæ ſupremùm admonuit, quietis amicus, hoſtis hoſtib. futurus. Itaq; reiectis primùm lymphatis ruſticorum turmis, qui cæſis ſiluis vias interſepſerant, & aditu Bauarum arcere conabantur, arces aliquot, quę progredientibus armatis obſiſtere audebāt, ſunt expugnatæ. Quarto die Auguſti *Linciū*, oppidum prouincię primariū, Dux ingreſſus eſt, & intra dies paucos *Auſtriam*, quà cis Anaſum eſt, vniuerſam occupauit, dominoque ſuo Cæſari vindicauit. Magiſtratu ve-

Pax Vlmenſis.

Lincium occupat Bauarus.

tere; quem factiosi sibi crearant, abdicato nouoque creato, in *Austriam inferiorem* copiarum partem misit: quæ *Buquoio* ad hostium castra excubanti, sed militum numero impari, se iungentes, Bohemum hostem, multitudine ferocem, finibus eiecerunt.

Vallis Tellinæ defectio à Grisonibus.

Dum hæc in Germania Austriaque geruntur, Vallis Tellinae incolæ Catholici apud Rhetos seu Grisones, mense Iulio, iugum Caluinisticum excutiunt, duce Iacobo Robvstello, Azone & Garolo Bestia, Ioanne Maria Paravicino, Ioanne Gvicciardo, & alijs aliquot viris nobilibus. Ex Caluinistis, multi subito oppressi, cæsi, fugati, aut in exilium acti. Patet ea Vallis in longitudine ad sexaginta milliaria Italica, & ad septem in latitudine: mediam intersecat *Addua* fluuius, Plinio & alijs veteribus notus, qui in lacum *Larium*, hodie *Comensem*, deuoluitur. Haut procul ab ostio fluminis Petrvs Henriqves, Comes Fontanus, Mediolanēsis prouinciæ, pro Rege Catholico, Gubernator, arcem nouam, quam hodie *Fontanam* nuncupant, anno 1603. exstruxerat, ad Rhætos, recenti fœdere Venetis obstrictos, in officio continendos. Arcis vicinitas *Robustello* ac socijs animos addidit, ad iniurias Catholicis, per hæreticos, & *Salicos* Venetorum fautores, illatas, aliquando vindicandas. Nam

Arx fontana.

præter

præter IOANNEM Episcopum Curiensem exilio mulctatum, & NIC. RVSCAM, Archipresbyterum Sodriensem, dira morte sublatum, alios insuper non paucos Catholicos varijs pœnis affecerant: & plures afficere aut pellere parabant. Sed patientia tot annis læsa tandem in furorem erupit, & exules ad patriam seruitute ac tyrannide liberandam, excitauit atque armauit. Ad facinus exsequendum dies decimus nonus Iulij constitutus: cessitque res feliciter, copijs auxiliaribus, ex Insubria alijsque prouincijs, sponte ac magno numero mox confluentibus. ROBVSTELLVS itaque Vallis vniuersæ Gubernator à ciuibus constitutus, aduersus *Venetos, Rhætos* ac *Bernenses*, qui aliquot millia militum Rhętis submiserant, primum GOMESII FIGVEROAE, Ducis Feriæ, Gubernatoris tunc Mediolanensis, post PHILIPPI III. Regis Catholici opem ac protectionem implorat, & obtinet. Sic hostibus cæsis, Vallis-Tellinæ dominium penes Catholicos mansit.

Ceterũ quibus conditionibus a. 1513. (quo tẽpore Galli Insubriã armis infestabãt) Val-Tellinenses Grisonibus accesserint, patet ex *Articulis*, anno eodẽ inter ipsos ex vna, & Episcopũ Curiensẽ, ac tres Ligas Rhætorũ, ex altera parte cõclusis; qui sic habent, ex autographo, hactenus in vrbe Curiẽsi adseruato, fideliter descripti:

Articuli an. 1513. inter Val-Tellinenses & Grisones conclusi.

Primo, quod homines Vallis-Tellinæ & Communitatis Tilij, velint & debeant Reuerendißimo Domino Epiſcopo Curienſi, *&* tribus Ligis *perpetuis temporibus, in omnibus & ſingulis licitis & honeſtis, parere & obedire.*

Secundò, quod prælibati homines Vallis-Tellinæ, & Communitatis Tilij ſint & eſſe debeant noſtri, videlicet Reuerendißimi Domini Epiſcopi Curienſis, & omnium trium Ligarum, cari & fideles cõfœderati, & tales permanere, & pro tempore, quo neceſſe fuerit, ad dietas noſtras vocati, in concilijs pariformiter nobiſcum ſedere, & conſulere omne id, quod eis Communitatibus magis expediens videbitur: & quando ad dietas ſic, & pro vt ſupra, vocabuntur, tunc debeant de quolibet Tertiero & Communitate Tilij vnum mittere Conſiliarium.

Tertiò, quod homines Vallis-Tellinæ, & Communitatis Tilij gaudeant & vtantur eorum priuilegijs, & antiquis conſuetudinibus, ſi ſaltem fuerint de iure laudabiles, & Deo conſonæ.

Quarto, quod prælibatus Reuerendißimus D. Epiſcopus Curienſis, & omnes Ligæ, ſint & eſſe debeant dictis hominibus Vallis Tellinæ, & Communitatis Tilij, adiutorio & conſilio erga Cæſaream Maieſtatem, & Ducatum Mediolani, aut alibi vbicunque oportuerit: & liberi fiant à taleis & ſimilibus, vti homines trium Ligarum.

Quintò, quòd homines Vallis Tellinæ & Communitatis Tilij teneantur ſingulis annis dare & ſol-

uere Reuerendißimo Domino Episcopo Curiensi, & omnibus tribus Fœderibus Tainenſes mille, *in promptis denarijs persoluendos, per quemlibet aut quoslibet habentes bona in dicta Valle, ad ratam bonorum suorũ exemptorũ & non exemptorum.*

An pacta iſta ſeruarint Griſones, ęquis rerum æſtimatoribus diſcutiendum relinquo.

VAL-TELLINENSIBVS pro libertate certantibus, RVDOLPHVS PLANTA, vir bello clarus, *Vallem Musteliam*, & GIOVERIVS *Misancinam* inuaſit, acri bello Caluiniſtis indicto. Exemplis hiſce moti alij pariter animos ad libertatem erexerunt.

Menſe Auguſto AMBROSIVS SPINVLA, florentiſsimi exercitus in Belgio, iuſſũ PHILIPPI III. ALBERTI Archiducis, cõſcripti ductor, in Palatinatum inferiorem, & IOANNES GEORGIVS, Saxoniæ Elector, Cæſari fidus, in Luſatiam irrupit, & *Budisinum* obſedit. Excitata ad Rheni & Mœni confluentem regia munitione, primò *Crucenacum* poſt *Alseium, Oppẽhemium, Baccheracum, Traubacum*, & alia ad Rhenum ac Moſellam oppida arceſq; SPINVLA, vix vllo ſuorum, damno, occupauit, SAXO *Lusatios* & *Silesios* ad fidem Cæſari præſtandam compulit. *Spinula Palatinatum; Saxo Lusatiam inuadit.*

Subacta Auſtria, BAVARVS & BVQVOIVS, iter recta in Bohemiam capeſſendum, & *Pragam*, rebellionis arcem, communibus armis iunctiſq; copijs petendam cenſuerunt. *Bauarus & Buquoius Bohemiam intrant.*

Septembris itaque quarto die, *Buquoius* ſacra ſynaxi paſtus, in iter per *Longoluſianos* montes arduos ſe dedit; die ſeptimo caſtrum *Cromouienſe*, in rupe munitum, ad deditionem coegit; & octauo die, qui Virginis Matris natali ſacer, in optatiſsimos *Bauari* amplexus irruit, magno ſtipante nobilium procerum agmine.

Nono Septembris, *Bauaro* intuente ac ſtupente cum ſuis omnibus, Cæſareanus exercitus ſpectãdum ſe præbuit. Veterani milites, ordine ritè ſeruato, viſi ſunt totidem propè Centuriones. Eodem die ſub veſperam *Hornam* ſuo ſolo milite Cæſareano *Buquoius* obſedit, & ſequenti die fulminantibus tormentis expugnauit.

Horna.

Progrediuntur deinde ambo exercitus, diſtãter quidem, non tamen remotè, Bauaricus à ſiniſtris, Cæſareanus à dextris, ea inter vtroſque tranquillitate, vt non diuerſi exercitus, non diuerſæ nationes, ſed vnus populus, vna videretur eſſe progenies.

Roſeberga.
Budoitium.

Per *VVeidhouium*, *Gmundium*, & alia loca, *Budoitium* 22. Septembris eſt peruentum. Eſt id oppidũ Regi in primis ſuo fidum, ſæpius ab hoſte tentatũ, ſemper tamen intemeratũ, & à milite Buquoiano fortiſsimè defenſum.

Budna.
Bracadltiũ.

Communicatis hic conſilijs per duos dies, it Bauarus 25. Septembr. *Budnam*, Buquoius *Bracaditium*. Budna prudenter ac tempeſtiuè Ba-

uè Bauaro se submisit:Bracaditium pertinacioribus animis vsum, superatis militũ virtute mœnibus,crudeles pænas 27.Octobris dedit. PISCA deinde, superioris anni clade adhuc fœda,nouo tamen milite ferox,ab vtroque exercitu cincta, dum superbos animos sériùs ponit, ab indignabundo milite Kalendis Octobris inuaditur, & miserabili strage per omnia compita fœdatur; *Bauaro* frustra obnitente,& ipso *Buquoio* contra militarem rabiem stricto ense nequidquam procurrẽte. Reliqua demum oppida maluerunt portas ad intrandum venientibus aperire, quàm claudere; ne claudendo efficerent, vt nemo deinceps suorum exiret. *Pisca.*

Octobris die 8. ad PILSINAM, à Praga totius regni secundam vrbem, peruentum est: sed enim Pilsina curæ Deo fuit, qui noluit,vt Catholici ciues, tot exemplis & pietatis & inconcussæ fidei erga Regem suum clari,iteratò ea ferrent, quæ duobus ab hinc añis ab *Ernesto Mansfeldio* expugnati, magno bonorum omnium gemitu, tulerant. Parsum igitur lugenti adhuc vrbi, calliditate eiusdem Mansfeldij, qui eam cum imperio obtinebat,& nostros versutissimis commẽtis per integros dies vndecim delusit; magno certè incolarum bono,vt nimirum sine cæde ac sanguine, anno proximè sequenti, à Legato Mãsfeldij ad obsequiũ reduceretur. *Pilsina.*

Comitis Dampetræ mors. Menſe Octobri medio, Comes Dampetræ,ad *Poſonium*,Hungariæ metropolim,infauſto ictu proſtratus cecidit. Erat nobili apud Lotharingos genere natus, ſed virtute bellica & rebus fortiſsimè geſtis longè nobilior.Fratres duos reliquit militaris gloriæ æmulos,Cæſari pariter militantes.

Die 22.Octobris,circa Pilſinam velut inducijs pactis, noſtri hoſtibus imminentes, eos ad *Raconitium* ſunt aſſecuti.Octobris 26. *Raconitiũ.* ad *Placenſe* monaſterium vterque exercitus acceſsit, & loco gradatim eleuato, velut in naturali amphitheatro(quod alibi non contigit) ſeſe mutuo conſpexerunt.Ibidem etiam lætum à pluribus viſum eſt boni ominis portentum : cuſpis vexilli legionarij, *Boni omnis portentum.* *Guilielmi Verdugi*, Belgarum ductoris, quod poſtea in Pragenſi prælio prælatum primo loco fuit,aliquamdiu ignea luce effulſit.

Quod & legioni quintæ Cæſaris,in bello Africano(quo tres vno die exercitus , *Scipionis*, *Afranij* & *Iubæ* ſuperauit) Plutarchus memorat contigiſſe.

Pridie Kal. Nouembris , cùm exercitui *Victoria ad Raconitiũ.* Bauarico prior acies obtigiſſet , Dux Sereniſsimus hoſtem è ſilua, quæ *Raconitio* adiacet, fortiter pepulit:rem ſtrenuè inter alios gerentibus *Neapolitanis*, quos equitatui Bauarico admiſcédos Buquoius miſerat.Centeni aliquot ex hoſtibus cecidêre: Auſtria-

cus

cus Baro *Teuffelius*, & vexillum prætorianum ſupremi Ducis Anhaltini, in poteſtatem venere.

Sequentibus diebus Bohemus intra vallum hæſit, certatumque aut eminus tormentis, aut cominus velitationibus, ſed magna ex parte inanibus.

Nouembris die 4. oportunè in caſtra aduenerunt copiæ auxiliares à IOANNE GODEFRIDO, Herbipolēſi ac Bābergenſi Epiſcopo (cuius ea vox laudatur, *Vna manu gladium, altera Breuiarium*) ſubmiſſæ. Numerus dicebatur octo circiter millium: ſed tam equitum, quàm peditum ita inſtructorum, vt firmiſsimum eſſet exercitus Bauarici ornamentum. Eodem die BVQVOIVS, dum ad ſuorum cum hoſte velitationem accurrit, muſqueti globo in vtroque femore vulnus ſtrictim accepit.

Buquoius læditur.

Die ſequenti, cum hoſtes elicere in pugnam nulla ſpes ſupereſſet, *Raconitio* diſceſſum eſt, lento tamen gradu, acieque egregiè ordinata: vt nihil ad hoſtes irritandos in pugnam poſſet eſſe efficacius, nihil ad ſpeciem delectabilius, nihil ad retūdēdos aduerſarios firmius. Itaq; recta PRAGAM noſtri properāt: quod vt ANHALTINVS, ſupremus hoſtilis exercitus ductor, animaduertit, vallo, quod ſibi ac ſuis firmarat, exceſsit; & ne priores noſtri Pragam venirent, cum ſuis mirè feſtinauit.

Septimo die ſub veſperum, cùm in planicie, inſtructis ordinibus, hoſtis viſendum ſe præbuiſſet, BAVARVS aciem quoque ſuam oſtendit, & à velitibus prioribus aliquantulum præluſum eſt, ſed nullo commodo aut incommodo, ipſa nocte pugnam dirimente.

Gaucherius equitum Colonellus.

Viſum igitur noſtris belli Imperatoribus, ne ſemper Bohemus elabi poſſet, noctu quoque proficiſci, donec tandem ad fatalem vltimi certaminis metam peruentum, BVQVOIVS porrò mandauit nobili ac fortiſſimo viro GAVCHERIO, natione Burgundo, equitum Colonello, vt proximè caſtra hoſtium noctu exploraret. Cognita eorum fuga, idem *Gaucherius*, cum ſexcentis equitibus noſtratibus, cunctiſque Polonis, & Belgarum quingentis muſquetarijs, Hungarorum ſex millia alioſque hoſtes aggreſſus, ex ijs ducentos amplius occidit, & equos circiter mille abduxit. Et niſi vetitum illi à *Buquoio* fuiſſet progredi, vniuerſum hoſtilem equitatum haut dubie diſſipaſſet. In hac expeditione inter primos à Gaucherianis Baro PETERSEMIVS fuit, qui primarium Hungarorum ducem manu propria interfecit. Atque hoc quidem non ſolum initium, ſed pignus atque arrha totius victoriæ fuit; territis adeò Hungaris, vt die proximè ſequenti, cum ad manus

Peterſemij Baronis laus.

nus ventum eſſet, terrorem toti exercitui iniecerint, ſuaque fuga aciei ſuæ ordines perturbarint.

Hortus eſt & amplitudine & amœnitate, dimidio milliari à Praga, celebris, cuius ſeptis lepores, cerui, aliæque ſilueſtres feræ, in oblectamenta Regũ, coercentur. Pone hunc ad *Stellam* palatium (ita nuncupatum, quod eius ſpeciem gerat) *Anhaltinus*, dux hoſtilis exercitus (qui viginti quinque amplius armatorum millibus conſtabat) vt periclitantem *Pragam* tueretur, caſtra in colle collocauit, & feſtinata militum opera; inſequentibus noſtris copijs vallum obiecit, breue ſolatium mali imminentis. Et vero temeritatis videri poterat (ſi leges prudentiæ militaris ſpectemus) tam iniquo loco, cum hoſte adeo potente ac numeroſo, munitum intra vallum hærente, & copioſiſsimam ciuitatem à tergo habente, prælium inire: euicit tamen conſilium verè diuinum, quo generoſa Ducum noſtrorum pectora vrgebantur. Verè *à Domino factum eſt illud, & eſt mirabile in oculis noſtris.* Dubitantibus itaque noſtris animos addidit. P. DOMINICVS, natione Aragonius, ex ordine Carmelitarum diſcalceatorum, vitæ morumq; integritate clarus, quẽ BAVARVS ſecum ad caſtra adduxerat. Is certam à Deo victoriam pollicitus, *Ioannis Capiſtrani*, & alio-

Stella palatium.

P. Dominicus ex ordine Diſcalceatorum.

&aliorum exemplo, Christi crucifixi effigiem in hostes intulit. Ioannes Serclasius, cognomento Tillius, nobili apud Brabantos genere natus, Bavari imperium in Boico exercitu est executus, & sinistrum latus in aggressu tenuit. Rudolphus Tieffenbachius, mandante Buquoio, Cæsareanos ab dextro cornu in hostem duxit.

Prælium ad Pragam.

Modestiæ porrò pugna fuit inter Bavarum ac Buquoium (huic namq; in rheda ob vulnus sedenti is perpetuò aderat) vter ante prælium ad castrorum Præfectos esset verba facturus. Post ancipitem disceptationem, dicendi onus volens nolens tandem *Buquoius* suscepit: tessera verò à *Bauaro* mox data est, felici omine, Maria. Prælio deinde incohato, *P. Henricus Fitzsimon*, Soc. Iesu presbyter, natione Hibernus, hymnum, Salve Regina, iussus est recitare, vtroq; belli Imperatore respondente. Et manifestum cæleste nostris auxilium mox adfuit. Exercitus namque hostium omnis, terrore diuinitus immisso, fusus fugatusque, sex ampliùs millia cæsa, mille circiter demersi, *Muldaq;* flumine absorpti, quingenti (quos inter filius primogenitus *Anhaltini*, item *Stirumensis*, *Sclikensis* & *Rhenensis* Comites) capti, tormenta decem maiora, cum vexillis plùs minùs centum militaribus, adempta,

Victoria verè miraculosa.

pta, castra omnis opulentiæ plena à nostris direpta, cum *Frederici* ipsius periscelide, quæ postmodum *Bauaro* à Belga milite, nobili genere nato, est oblata. Ex nostris vix ducenti quinquaginta cecidere. PALATINVS, eo tempore Pragæ hærens vt suos cæsos esse, & nostros (quos inter primi fuere Belgæ) ad vrbis muros accedere intellexit, cum *vxore, Anhaltino* seniore, *Turriano*, & alijs proceribus, in Silesiam turpiter fugit; & qui animo Imperium Romanum iam deuorarat, vix repperit quò se tuto reciperet, crimenque rebellionis pudenda omne in æuum strage expiauit.

Notatum à curiosis, eo ipso die, quo miraculosa atque illustris illa victoria de hoste prædone parta est (incidit enim in Dominicam XXII. post Pentecosten) illud ex Matthæi Euangelio ab vniuersa Ecclesia Catholica recitatum fuisse; *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Notatum itẽ Sanctis in cælo degentibus diem illum (qui & Festiuitatis eorumdem, & Nouembris erat octauus) sacrum fuisse. Vindictæ nimirum diuinæ tempus aderat, & lacessiti per annum Diui in Caluinistas, hostes suos, arma pariter sumpserant; ne eos porrò in cælo sedere cæcos ac surdos calumniarentur.

Die proximè sequenti, PRAGA minor (constat enim ea tribus vrbibus, *Minore*, quæ est pul- *Praga deditur.*

eſt pulcherrima, *Veteri* ac *Noua*) primùm ſeſe dedidit: quod exemplum mox reliquæ ſunt ſecutæ. In vrbe regni corona, cum gazis regijs, reperta, maior item Nobilitatis pars deprehenſa, atq; inter alios *filius* & *vxor* Comitis Turriani.

Atque hæc eſt nobilis illa pugna, qua vniuerſum Bohemiæ regnum vno velut ictu, eſt ſubactum; qua Bohemi ante hunc diem, vt credebatur, inuincibiles, prorſus fracti ſunt ac profligati; Bohemi inquam illi, quorum militari ferocia, antę ducentos annos, SIGISMVNDVS Cęſar, totius Imperij viribus ſtipatus, *Ziſca* duce, infami cæco, fuſus eſt ac fugatus. Hæc eſt illa pugna ad ſepta leporum carcereſq; ferarum, vbi infauſto omine caſtra Bohemi fixere, paulò pòſt inſtar ceruorum ac leporum fugituri, inſtarque ferarum fugandi ac mactandi. Hæc eſt illa pugna ad *Stellam*, quam anno præcedente Stella tremendo crine rubens portenderat. Hæc eſt illa pugna, quæ non modò Germaniam, ſed vniuerſum orbem Chriſtianum, ab immani Caluiniſtarum tyrannide, debellato eorum coryphæo atque anteſignano, liberauit.

Cometa.

Die 9. Nouembris, ſub horam vndecimã BVQVOIVS, non pompa triumphali Capitoliũ, ſed ſupplici pietate *Capucinorum* Pragenſe templum (quod vnicum Catholicis ea in

Buquoius intrat Pragam.

ea in vrbe reſtabat) ingreſſus eſt, rem diuinam auditurus. Poſt horam duodecimam, eodem die, MAXIMILIANVS Bauarus, in eorundem Patrum monaſterium aduenit. Difficile dictu eſt, quanto bonorum omnium applauſu vterque fuerit exceptus.

Ipſo die S. Martini, vniuerſa Praga (tribus enim, vt dixi, oppidis ea conſtat) in FERDINANDI Cæſaris verba iurauit, & Bohemiæ Ordines iam ſubacti biduo poſt, ingētē aceruum cōfederationū, cum *Morauis, Sileſijs, Luſatijs, Hungaris, Gabore,* Auſtriacis ſuperiorib. & alijs initarum, eidem Bauaro tradiderūt.

BVQVOIVS cùm lecto decumberet ex vulnere, poſt victoriam adeptam miſſus eſt Princeps CAROLVS LIECHTENSTENIVS cum copijs ad *Carloſtenium*, vetus Bohemiæ caſtrum (in quo regni corona aſſeruari ſolet) expugnandum. Cuius loci milites, præſidiarij ſexcenti, partim Angli, partim Scoti, mox ſeſe dediderunt. *Launum, Slaunum,* & alia vicina oppida vim metuentia, Cæſareano militi portas pariter aperuerunt. *Carloſtenium.* *Launum, Slaunum.*

Die 12. Nouembris, BAVARVS ex vrbe Pragēſi ad PAVLVM V. Papam litteras dedit, miraculoſæ huius victoriæ indices: quarum exemplar hic habes.

Beatiſsime in Chriſto Pater ac Domine, Domine clementiſsime: poſt humillima beatorum pedum oſcula. Reſpexit tandem Deus O. M. Eccleſiā ſuam,

eiuſq;

eiusq; hostes debellauit, & fregit, illustri sanè victoria, quæ iure merito Victoria Dei *vocatur. Ego quidem &* veni *&* vidi, *pugnaq; præsens fui, sed* vicit optimus Deus, *cui omnem victoriæ titulum gratissima mente ex solido adscribo. Verè manus Domini nobiscum fuit, quæ hostem tam potentem, & loco tam munito sese opponentem deuicit. Nec sine singulari Dei prouidentia factum videtur, quòd cùm hoste congressi simus ipso Sanctorum omnium octauo die, qui idem fuit cùm Dominica vicesima secunda post Pentecosten, quo Euangelium ritu Romano prælegitur,* Reddite ergò Cæsari, quæ sunt Cæsaris. *Reddidit certè Palatinus Elector, quàmuis inuitus: qui vbi cladem sui exercitus accepit, vna cum coniuge, Praga cessit, & vel hoc ipso Catholicum agmen vicisse, professus est. In qua Dei victoria quædam prorsus admiranda contigere. Hostis erat numerosus, nec non veterani militis robore carebat: hūc etiam locus ipse fecit audacem. Nam in monte, vrbi Pragensi contiguo, instructissimam contra nos aciem direxit, & quamuis ego, cum vniuerso exercitu, tota penè nocte iter fecerim, hoc solum fine, vt hostem assequi, & cum eo confligere liceret, conflictus tamen initio admodum iniquus videbatur & impar, cùm hostes in oportunissimo sibi loco, nec minùs munito, facilem in nos pugnam sortiti essent. At demum præmissa deliberatione, ante omnia Deo fidendum, & ope diuina nitendum esse rati, ex iniquo etiam & inferiori loco,*

hostem

hostem cominus aggreßi sumus. Videbatur quidem noster exercitus sub initium nonnihil nutare, sed mox resumptis animis & alacritate, iuit in hostes, & eos è monte profligauit, tormenta anea maiora occupauit, omnibus aduersæ partis aut casis, aut in fugam actis. Ita dispersi fusique ad internecionem vsque deleti sunt: nec prius desistere nostri, quam fuga dißipatos ad ipsam vrbem insecuti, varia in eos cæde grassarentur. Numerus quoque cæsorum excreuit, vt plura millia interfectorum numerarentur; cum ex parte nostra vix centum desiderati; plures tamen læsi sunt. Præter tot ex hostium numero cæsos, aliquot capti; inter alios Principis Anhaltini filius *natu maximus, qui etiam grauiter læsus est,* duo Comites, *& plures Nobiles & Capitanei.*

In eadem pugna, præter centum vexilla decem quoque maiora curulia tormenta hostibus erepta sunt. Hungari, multis iam eorum prostratis, vt fuga se seruarent, in Moldam flumen sese præcipitarunt, tranaturi: sed mille circiter in aquis interijsse dicuntur. Et quidem pugna ad horam tenuit, die, vt dictum, octauo omnium Sanctorum, qui sese de suis hostibus insigniter sunt vlti. Die sequenti, qui fuit nonus, qui & Dedicatio basilicæ Saluatoris, ciuitas Praga *deditionis ad me misit litteras, se in Cæsaris potestate posthac futuram.*

Altero ab hoc die, tam vetus, *quam* noua Praga. *(est enim tripartita ciuitas) obedientiam Imperatori, sine exceptione omni, promiserunt.*

D Hodie

Hodie quoque regni Bohemici Status, Comites, Barones & Nobiles, crimen publicè deprecati, mihi, nomine Cæsaris, nouum homagium promiserunt, & confœderationibus omnibus, tam cum Regno Hungariæ, quàm aliis initis renunciauerunt, ipsaque confœderationum instrumenta ad meas manus tradiderunt. Itaq; in hoc anno, Deo soli laus, Austria superior *omnis Cæsari subiecta,* inferior *tranquillata, & ab hoste liberata, & cõplures Bohemiæ tam vrbes quàm arces captæ, ante Pragam hostilis exercitus profligatus,* Praga *occupata, & Status regni Bohemiæ in Imperatoris fidem & obsequium reducti.*

Hæc S.V. compendio narrare, simulq; Ecclesiæ Romanæ gratulari, par erat. Interim S.V. submissè & plurimùm me commendo, atq; ad pedum osculum reuerenter submitto. Pragæ die 12. Nouembris, an. 1620. S. V. deuotus & obsequentissimus filius & seruus Maximilianus.

Ad has litteras Paulus V. Papa die 3. Decembris sic respondit: *Dilecto filio nobili viro* Maximiliano *Duci Bauariæ* Paulus *Papa V.*

Pauli V. Papæ epistola ad Bauarum.

Dilecte fili, nobilis vir, felicissimum, & supra quã dici potest, nobis & vniuersæ Christianæ Reipublicæ optatissimum Pragensis victoriæ nuntium attulerunt literæ tuæ. Quam quidem victoriam, vt de immensa Dei potentia confidentes, non dubia spe præsumebamus, ita nunc de ea tam copiosè, tam mirabiliter parata, immortales ei, qui facit mirabilia magna solus, *gratias agere non desistemus,*

mus, Tibi verò in visceribus Iesu Christi vnicè dilecte fili, totius Ecclesiæ nomine, cui immeritò præsidemus, ex intimis præcordiis gratulamur, quòd nimirum res adeò præclaras tam fortiter, tam breui tempore gesseris, vt quemadmodum scribis, veneris, videris, &, Deo duce, viceris *perfidos Christi hostes, & Romano Imperio rebelles.* Laudet, *fili*, vsq; ad mortem anima mea Dominum, quoniam adiutor & protector factus est nobis. *Equidem Nobilitatis tuæ litteris lectis, toto spiritu in Domino exultantes, ecclesiam S. Mariæ Maioris petiuimus, ibique humiliter prostrati, cum lacrymis de summo accepto beneficio debitas persoluimus, cùm auctori omnium bonorum Deo, tum sanctissimæ Matri misericordiarum, & Reginæ Sanctorum omnium, in quorum solemnitatis octauo die victoriam diuinitus tibi delatam fuisse scribis. Vt minimè dubitandum sit, quin tibi pro gloria Dei strenuè dimicanti cœlestis exercitus auxilium illa die præsens adfuerit. Ad huius porro beneficij magnitudinem, quàm grato possumus animo, prosequendam, solennes indiximus in hac vrbe supplicationes ab ecclesia S. Mariæ, quam appellant supra Mineruam ad ecclesiam S. Mariæ de Anima: ad quam nos venientes, sacrosanctum Missæ sacrificium Omnipotenti Deo, in gratiarum actionem, obtulimus. Nullum certè erit tempus, in quo collati eximij doni memoria ex animo nostro deleatur, quin semper indies magis magisque vigebit,*

ſicut & Illuſtris tuæ virtutis, tuorumq́ geſtorum immenſa gloria perpetuò nobis ante oculos verſabitur, omniſque conſequens ætas meritis illā laudibus celebrare non deſiſtet. Nec eſt, quod aliquo pacto vereamur, ne iſta tua virtus vnquam defatigetur, quin firmiter ſperare debemus, eam ex ipſis, pro Chriſti atque ipſius Eccleſiæ honore, feliciter ſuſceptis laboribus, maiores quotidie vires accepturam, deq́ Chriſtiana Republica maiori etiam, ſi fieri poſſet, conatu optimè promereri nunquam ceſſaturam.

Quo ſanè fiet, vt antiqua Bauaricæ familiæ decora tuis egregijs factis indies exornentur & cumulentur, & ipſe temporalis atque etiam æternæ felicitatis ampliſsimum præmium ab eo, qui eſt liberaliſsimus remunerator, conſequeris. Nos certè tantum Nobilitatis tuæ merito tribuimus, vt quæ vnquam à nobis, atque ab hac Sancta Sede in te, tuamq́ familiam proficiſci poterunt, ea ſemper vobis parata fore, pro certo habeas, velimus.

Interim Nobilitati tuæ à Domino ſecunda omnia optamus & precamur, & iterum paterna noſtra benedictione, toto cordis affectu, benedicimus. Datum Romæ, apud S. Mariam Maiorem, die 3. Decembris, 1620. anno 16. Pontificatus noſtri.

Paulus V. ad Buquoium ſcribit. Cæterùm vt ad BAVARVM, ſic etiam ad BVQVOIVM idem Paulùs Pont. Max. die 19 Decembris litteras dedit, eumq́ue laudauit *de conſtanti virtute, ſtrenuitate, felicibuſq́ laboribus, in hac Pragenſi victoria conſequenda, pro*

pro Catholicæ Religionis & S.R.Imperij dignitate ac salute.

Nouembris 17.die, BAVARVS Praga discessit, & die 25. eiusdem mensis MONACHIVM appulit, LIECHTENSTEINIO Principe Pragæ relicto, vt regni Vicario, vnà cùm TILLIO ac maiore parte copiarum. *Bauarus Praga discedit.*

Victoriâ porrò obtentâ, IOANNES LOHELIVS, Pragensis Archiepiscopus, cum clero Metropolitano, GASPAR QVAESTENBERGIVS, Abbas Strahouiensis, qui est ex familia Præmonstratensi, *Dominicani, Franciscani, Patres Soc. Iesu*, & alij ordinis Ecclesiastici viri, cùm ad vrbem rediissent, haut facilè dixero, quanta mox facta fuerit vitæ morumq; in melius commutatio, quãta ciuium ad Romano-Catholicam Ecclesiam accessio. Vt de ista, post *Frederici* Palatini expulsionem, futura apud Bohemos Reformatione, *Ioannes Liechtenbergius*, celebris apud Germanos Astronomus, non omnino vanus fuisse vates videatur. Cuius quidem *Prognosticon*, anno millesimo quadringentesimo octogesimo quarto scriptum, & Coloniæ an.1526. secundò excusum, in gratiam curiosorum, hic libet attexere. *Io. Liechtenbergij Prognosticon.*

Sedes Bohemorum *hæreticabit in Alemannia, & zizanio denigrabunt triticum Prælatorum Rhenensium. Flumen* Palatinorum *tyrannisabit, adducens alienos in propriam patriam:* *Ex cap. 7.*

quod, heu, dolendum erit. Aer Moguntinus *Ecclesiasticabit, solis precibus placabit Cuncti-potentem.*

Attendite viri prudentissimi dictum Domini dicentis: Omne Regnum in se diuisum desolabitur. *Estote ergo prudentes, ne Imperium destruatur: cessante enim sacro Imperio, sæculum consummabitur. Aspicite* Aquilam *quasi deplumatam: heu, pennulæ ceciderunt ab alis eius, quia volare nequit. Omnes ergo Principes indubitāter, qui ad hoc dant operam, vt Imperium destruatur, quātū ad hoc sunt præcursores & nuntij Antichristi. Caueant ergo septem Principes Electores, & eorum ministri, ne peccatis & culpis eorum exigentibus, iusto Dei iudicio, Imperium ab ipsis auferatur. Nam necesse est vt scandala veniant, væ illis, per quos sunt ventura.*

Ex cap. 9. Nouus Princeps *exurget in breui tempore. O alma mater Ecclesia, plange! O Virgo Rheni, clama: vlulate Pastores & Doctores. Factus est mihi quasi* Leo *insidians: ideo versum est in luctum gaudium meum, O plebs misera: quia* Regulus nouus *surrexit in te, non Gubernator, sed Desolator fidelium, non Consolator, sed Deprædator spiritualium, non Protector, sed Depressor orphanorum & viduarum, in tota alta Germania. Nouus Destructor,* Nouus Rex, sine ruga, *Germaniæ Principibus videbitur accedere. Hic patrimonij* Iesu *dilapidator, hic erit Draco perniciosissimus, persequens Sponsam* Christi, *in*

multis diœcesibus : qui perturbabit terram, ponet orbem desertum, non dormiet, sed continuo machinabitur malum : cuius consilium est cum impijs, & stabit cum consilio iniquorum. Nullus veterum tyrannorum fecit tot & tanta perniciosa, quanta hic in populo Alemannico faciet. Non timebit Deum, non parcet Sanctis : non formidat capita fidei, non veretur exterminare loca sacra, non pudet eum committere sacrilegium. Heu quanta perficiet contra Catholicam ordinationem! vix lingua sufficit enarrare. Punieris à Deo, ô radix peccati, verè punieris à Deo. Nam hoc tibi signum erit : Aurum sapientiæ tuæ obscurabitur, quia phreneticabis, rumor famæ tuæ infatuabitur, mutabitur color tuus optimus & diceris per totum mundum Hæreticus. Obmutesce ergo abominatio, ne cogites quouis modo seminare zizaniam siluestris Leonis *inter Germaniæ Principes ac Imperium.*

Heu Beelphegor, & Hæresiarcha Bohemorum; Regulus venenosus, qui se pro Rege Bohemiæ gerit, *Romanæ Ecclesiæ, ac orthodoxæ fidei hostis acerrimus; sponsæ Christi turbationes plurimas afferet, egregiosque viros interficiet.* O iuuenis ad bella ductus per tuos, *quomodo audes viuere in statu, in quo mori non audes? Nescis quod sepelieris, sepultura asinina? Progenitores tui, viri Catholici, viri famosi. Quid tu gloriaris de Doctoribus tuis excommunicatis? Tu pelles mortuas vis consulere, id est* *Ex cap. 20.*

Hæreticos qui nesciunt quid dicunt. *Sequere* Paulum.

Cum in ætate tenera fuisti, sicut à parentibus ducebaris, sic fecisti. Iam vbi ratio sensui capit dominari, excute, quæso, quæ sunt paruuli. Corrige, emenda vitam tuam, & Idolum tuum excommunicatum, vt viperam, fuge. Post te veniet, qui Ecclesiam Pragensem adducet ad Matrem fidelium, & erit noua Reformatio in Bohemia. *Hactenus ex Leichtenbergio.*

Buquoius Morauiã subigit.

Ad Bvqvoivm verò vt redeamus, is vt primum sensit se meliusculè habere, die 12. Decembris, Praga Morauiam versus cum exercitu discessit. Aduentanti Morauorum legati obuiam venere, nuntiantes quidquid ipse mandaret, sese facturos. Is nihil aliud ipsis imperauit, quam vt Cæsaris arbitrio sese statim submitterent: quod & præstiterunt, Catholicorum templis *Olmutij*, *Brunæ*, & alibi mox restitutis; adhæc Patribus Soc. Iesu, cum reliquo clero, domum reuocatis.

Regis Galliæ res in Bearnia gesta.

Octobri mense anni eiusdem, vt Caluinianorum insolentia non vno loco retunderetur, Lvdovicvs XIII. Galliæ Rex magno zelo in *Bearniam* profectus, Episcopos *Oleronensem* & *Lascariensem*, per Ioannam Nauarræ Reginam ab annis quinquaginta pulsos, plenè restituit; in oppido prouinciæ primario, quod *Pauium* vocant,

Romano-Catholicæ religionis exercitium publicè fieri iuſsit; Societatis Ieſu collegium ibidem conſtituit, & *Nauarrinum*, amotis Caluiniſtis,præſidiario milite Catholico ſibi aſſeruit.

Maiores noſtri varias olim expeditiones ſacras contra Hæreticos, Mahumetanos, aliosque infideles ſuſceperunt. Sub VRBANO II. Papa, anno 1096. *Petro Eremita* incentore, GODEFRIDI BVLLONII auſpicijs, cruce ſignatus exercitus Hieroſolymam occupauit. Sub INNOCENTIO III. noſtri Conſtantinopolim expugnarunt, Græcumque Imperium in BALDVINVM Flandriæ Comitem tranſtulerunt. His & alijs exemplis moti viri primarij *Sodalitatem Defenſionis Chriſtianæ*, aduerſus Turcas & Caluinianos hoc anno inſtituerunt: quam ſuis deinde diplomatibus, ALBERTVS Belgarum Princeps, Electores Eccleſiaſtici, MAXIMILIANVS Bauariæ Dux, alijque Principes confirmarunt. Et verò inſtare nūc tempus delendi Imperij Turcici, *Ioannes Buchenius*, Doctor Sorbonicus ac Tornacēſis Archidiaconus, in ſua Corona Myſtica & *Marcus Aurelius Scalia*, in ſuo libro, quem de Ordine equeſtri militiæ Chriſtianæ ad *Carolum Gonzagum* Ducem Niuernenſem, Italicè conſcripſit, alijque abunde docuerunt. Rogandus Deus, vt Chriſtianorum Princi-

Sodalitas Defenſionis Chriſtianæ.

pum animos concordia iungat, & ad maiorum suorum æmulationem accendat. Non deerunt, priuati, cum ex Ecclesiastico, tum politico ordine, qui opes animosque conferant. Testis vel vna ANTVERPIA, quæ Godefridi Bullonij, Principis olim sui memor, promptissimæ ad sacram expeditionem voluntatis testimonium hoc ipso anno dedit. Quod alijs, vt spero, ciuitatibus aliquando seruiet exemplo.

Hungaricæ rebellionis, per Gaborem procuratæ Historia.

Post concordiam, per Oratores Gallicos, diu sed frustra tẽtatam, FERDINANDVS II. Cæsar, exeunte anno, aduersus GABRIELEM BETLENIVM, Transiluaniæ Principem, Hungariç incubantem, apertum bellum publicat, & præteritos omnes tractatus, ob illius perfidiam, cassat ac reuocat, diplomate die 10. Decẽbris Viennæ dato. Ex quo quidẽ diplomate Imperiali, vniuersam rebellionis Hungaricæ historiam breuiter Lectori ob oculos hic ponere visum est.

Eo ipso tempore, quo Dei benignitate, ac concordi Principum Electorum suffragio, ad supremũ Imperij fastigium FERDINANDVS II. euehebatur, vnius hominis (sed qui conspirationis suæ multos & potentes sibi asseclas coniunxerat, & cum rebellibus Bohemis vires consiliaque sociarat) effrænata dominandi libidine, atrox ac periculosum exarsit rebellionis incendium. Cuius nefan-

nefandæ proditionis ac perfidiæ initia, progressus, & exitus, ob dolum, fraudem, ac tyrannidem quàm maximè detestabilia fuerunt. Posteaquam enim GABRIEL BETLENIVS, quem vulgò GABOREM nuncupant, Turcico exercitu instructus, Transiluaniam inuaserat, Dominumque suum, cui iuratus fidē præstiterat, GABRIELEM BATHORIVM possessione primū TRANSILVANIAE, deinde vita exturbarat; securitati suæ consulendum, atque in eo vel maximè sibi elaborandum existimauit; vt cum Imperatore MATTHIA certas concordiæ rationes iniret. Inter ceteros autem anno millesimo sexcentesimo decimo quinto stabilitæ pacis articulos, tam à BETHLENO, quā à Transiluaniæ Ordinibus seu Statibus, diplomate syngraphis ac sigillorum impressione firmato, promissum fuit: *Quod neque contra suam Maiestatem, eiusque legitimos successores,* Reges Hungariæ, *& Regnū, augustissimamq;* Domum Austriacam, *regna & prouincias, cū quibus Regia Maiestas singularia pacta habet, vllo vnquā tempore, auersā vel hostilē prætensionē habebunt, aut cōtra regni Hungariæ libertates, priuilegia, quietē, aut tranquillitatē, palā vel occulte quidquā fieri patiētur. Quodq;* idē Betlenius *& successores, vna cū Statibus & Ordinibus Transiluaniæ suæ Maiestati suisque successoribus legitimis, & Regno Hungariæ, quandocunque necessa-*

Betlenius Transiluaniam occupat.

An. 1615. cum Matthia Imp. fœdus init.

necessarium fuerit, contra omnes eorum hostes (*excepto* Turca) *omni ope, auxilio, viribus, & fidelitate aderunt.*

Ann. 1619. renouat cũ Ferdinãdo.

Quæ omnia vt eò sanctiùs seruarentur, quò arctiùs firmabantur, rursum anno millesimo sexcentesimo decimo nono, consignatis diplomatibus, eadem ipsa renouata, confirmata atq; ratificata fuere. Et Bethlenius quidem in verbo suo Principis, *bona fide*, Transiluani autem *fide Christiana* mediante, promiserunt, *quod tam per seipsos sanctè & inuiolabiliter prædictos articulos, quam etiam per alios, quorum intererit, obseruari facient, successoresq; suos ad eorum obseruationem in perpetuum obligatos velint.*

His igitur pactorum fœderum strictissimis vinculis, securitati Hungariæ abundè prospectum, neque *Ferdinando*, ex parte *Betlenij*, quidquam hostile expectandum videbatur. Verùm, vix pauculis mensibus post fœdera renouata elapsis, contra fidem datam de inuadenda atque occupanda *Hungaria*, occulta non solùm cum nonnullis seditiosis ac perfidis Hungariæ proceribus & incolis, sed & cum rebellibus Bohemis, ac *Friderico* Palatino Rheni, *Betlenius* consilia agitare cœpit.

Conspirat cum Palatino.

Ne qua verò tectę machinationis indicia, ex apparatu bellico, quem sollicitè *Betlenius* instruebat, in publicum prorumperent, ad

prima-

primarios regni Hungariæ proceres ſeu Officiales iteratis ſcriptionibus, per ſummum fingendi ſimulandique artificium, is ipſe commemorabat, pactorum conuentorumque ſibi memoriam non effluxiſſe, quorum vigore, vnà cum vniuerſa *Tranſiluania*, arctiſsimè obſtrictum ſeſe meminiſſe, vt contra omnes hoſtes, omni ope, auxilio, ac viribus, FERDINANDO Regi præſtò ſe eſſe debere; adeoque nunc tempus adeſſe, quo dictorum conuentorumque conſtantiam publicè teſtatam redderet. Aliquot igitur millia militum bene inſtructorum, contrà Bohemos actutùm ſe miſſurum, ſi modò Regi adlubeſcat. Tranſiluanos quoque, quò faciliùs incautos circumueniret, & ad arma expedienda militemque conſcribendum induceret, fœderum cum FERDINANDO initorum prætextu, acriter incitabat, vt iuxta datam fidem, auxilia eidem ſubmittere non differrent.

Tranſiluanis imponit.

Poſtquam & Tranſiluanis bellè impoſuiſſe, & à milite ſatis inſtructum ſe animaduertit, ſcriptis an. 1619. menſe Iulio, ad Præfectum ſeu Generalem, vt vocant, Caſſouienſem, ANDREAM DOCZIVM litteris, ſignificat, *Varadinum* iter ſe adornaſſe; non dubitare, quin varij de ſe rumores ab æmulis circumferantur, quaſi Hungariæ inuadendæ conſilia agitaret. Ceterùm monere, atq;

etiam

etiam impensiùs rogare, ne maleuolorum sermonibus aures præbeat; nondum sibi excidisse, quid ex pactis, ac fidę data, Ferdinando Regi debeat. His alijsque verborum lenocinijs, adeò *Doczium* Betlenivs demulsit, vt nihil prorsus ab illo metuendum sibi existimaret: donec tandem, sub initium Septembris, anni millesimi sexcentesimi decimi noni, accedente *Cassouiensium* perfidia ac proditione, idem Præfectus captus, ac compedibus constrictus, sub arcta custodia in Trāsiluaniam (vbi & vitam miserè clausit) iussu *Betlenij*, mitteretur.

Ann. 1619. Doczium Generalem Cassouiensem capit.

Deinceps verò vi, terrore, rapinis, bonorum direptionibus, cædibus item, atque indignissimis Regi fidelium tàm Ecclesiasticorum quàm sęcularium hominum oppressionibus, grassatus Betlenivs, *Hungariam superiorem* totam peruasit: profanatisque ac deuastatis Catholicorum templis, expulsis vel occisis Sacerdotibus, bonis Ecclesiasticis occupatis, ac viris primarijs, qui fidem Deo ac Regi coronato Ferdinando debitam violare renuebant, patria exclusis, ipse sibi, nomine *Principis Hungariæ* adsumpto, regni dominationem nefariè vsurpauit, & *Posonium* vsque penetrauit. Vbi circumuentum *Regni Hungariæ Palatinum* vi, metuque adegit, vt cum summo iuris Regij præiudicio (Statuum namque siue Ordinúm

Hungariã superiorem peruadit.

Principis Hungariæ titulum vsurpat.

num ad comitia conuocatio ad Regem tantùm ſpectat) generalem conuentum regnicolis *Poſonium* indiceret.

Cumque armorum ſtrepitus ac tyrannis in conuenticulo Poſonienſi omnia poſſent, nefando atque inaudito ſceleris ac perfidiæ exemplo, nonnulli complices BETLENII, præſtiti FERDINANDO homagij ac fidei immemores, de eodem BETLENIO in Regem protrudendo conſilia inierunt; Status Eccleſiaſtici vetuſtiſsimam prærogatiuam abrogandam cenſuerunt; prædia Eccleſiaſtica omnia profanis vſibus addixerunt: Officiales ſeu miniſtros Regios loco atque officio cum dedecore amouerunt; viros primarios tàm Eccleſiaſticos quàm ſæculares (quòd auſus nefarios calculis ſuis approbare nolentes, furori rebellantium ſeſe ſubduxiſſent) velut patriæ proditores proſcribendos pronuntiauerunt. Demum, ne quid ad extremum præcipitis inſaniæ complementum deeſſet, pernicioſa cum rebellibus *Bohemis* confœderatione inita, adſcitiſque eorum copijs, hoſtiliter *Auſtriam* inuaſerunt, Viennamque, vbi tunc *aula Cæſarea* ſedes erat, progreſsi, incendijs, rapinis, cædibus omnia vaſtarunt.

Quoniam tamen res ſuas necdum ſatis firmatas GABOR aduertebat, vt interea ſua cum Turcis negotia conſtituere, Tran-

ſiluaniæ proſpicere, Polonico ſe metu liberare, & quonam Bohemicum bellum inclinaret, explorare poſſet, conſueto ſuo artificio vſus, ſimulat ac promittit ſe effecturum, vt Hungaria ad obſequium Ferdinandi reducatur. Sed tempore opus eſſe, quo animi nonnullorum exaſperati ſuis perſuaſionibus leniri queant. Inducias itaque ad feſtum *S. Michaelis* duraturas ſtabiliri, atque interea temporis, in eo quo tunc erant ſtatu, omnia permanere, nec quidquam hoſtile ab alterutra parte attentari, poſtulat.

Inducias poſtulat.

Induciæ vix ſtabilitæ fuerant, cùm homo perfidus nihil non egit, vt Conſtantinopoli, per falſos rumores, rebus eiuſdem Ferdinandi depreſsis, hoſtium autem viribus ſupra verum elatis, oſtentata occaſione, Tvrcam ad bellum contra Ferdinandum gerendum concitaret. Ipſe interea munitas Comitis Homonaii, arces occupauit; *Munkachuum*, *Nitriamq;*, iteratis vicibus, milite circumcinxit: Germanorum turmam, ſine cuiuſquam noxa, ſecundo Danubio *Iaurinum* vectam, hoſtiliter inuaſit: *Comaronienſem* munitionem Haidonum copijs non ſemel cinxit; ex arce *Poſonienſi*, Germanorum præſidium exturbauit: aliaque innumerabilia, pactis Inducijs aduerſantia, perpetrauit. Tandem, Eccleſiaſtico regni Hungariæ Statu ſeu Ordine, qui eſt primarius, abſen-

abſente, regni item Sclauoniæ legatis, ac pluribus Magnatibus non comparentibus, multis prouinciarum nuntijs, iuxta manda-ta, quæ à ſuis acceperant, penitus abnuentibus, ipſis verò comitijs, per Legatos Regios, ne quid ritè vlterius tractari poſſet, iam diſſolutis. Cùm pridie certa mors refragaturis denuntiata fuiſſet, à paucis perfidæ rebellionibus concitatoribus, tumultuaria factioſorum acclamatione, ann. 1620. die 25. Auguſti *Rex Hungariæ* per vim ac fraudem renuntiatus, Inducias palam reſcidit, *Nitriaq;* expugnata, copias ſuas in *Auſtriam* cis Danubium immiſit, ferroq; omnia populatus, arces & oppida varia occupauit. *Rex Hungariæ renuntiatur.*

Ne quid verò ad ſummum ſcelus deeſſet, quemadmodum in *Tranſiluania*, vt Ottomannorum gratiam demereretur, valida Chriſtianarum ditionum propugnacula, magnis Romani Imperij ſumptibus, ſub SIGISMVNDO BATHORIO, Turcis erepta, videlicet *Lippam*, *Solymos*, *Totuaradgiam*, *Margitam*, *Monoſtor*, *Arad*, *Syri*, & *Facſathum*, Turcis tradidit; ſic in Hungaria hoc ipſo anno limitaneas arces & oppida iiſdem Turcis conſignare cœpit, tradiditq; inter alia *Vaczium*, Epiſcopalem ſedem, inter Budam & Strigonium oportuno loco ſitum, magnis olim Hungariæ, ſacrique Imperij impenſis recuperatum atque defenſum. *Tranſiluaniæ & Hungariæ arces tradit Turcis.*

Quæ cum ita essent, ne quod FERDINANDO vel successoribus eius præiudicium quacumque demum ratione, ex prætensa *Bethleny* in Regem electione, regiminisque ac Regij tituli vsurpatione nasceretur, in primis hanc electionem iniustam, violentam, iniquam, seditiosam, iuribus, consuetudinibusque Regni contrariam, ac proinde irritam, inualidam, ac penitus nullam esse, idem FERDINANDVS edito diplomate declarauit. Præterea quidquid in conuentu *Posoniensi*, aut *Nouizoliensi*, contra iura Regia, contra Ecclesiam Dei, ac Statum Ecclesiasticum, contra leges, libertatẽ, & antiquas Regni Hungariæ consuetudines, contra fideles Regis vasallos, tam Ecclesiasticos quàm sæculares, quoquo modo statutũ, decretum ac definitum fuit, id totum penitus cassauit, illegitimum, iniustum, inualidumque pronuntiauit: neq; illorum conuenticulorum statuta robur aliquod, vllo vnquam tempore, habitura statuit: quandoquidem, iuxta perpetuam eiusdem regni Hungariæ legem ac consuetudinem, nulla constitutio valida esse possit, quam legitime coronati Regis approbatio non firmauerit.

Quia verò, ne quid intentatum FERDINANDVS relinqueret, quo S. R. Imperio & regno Hungariæ salus & pax restitueretur, GABORI titulum *Hungariæ Principis* ea ratione

tione detulerat, si ad fidem obedientiamque debitam Hungaros reduxisset: is verò non modò non satis fecerit conditioni, sed è contra perfidè Regnum Hungariæ eidem FERDINANDO eripere studuerit: eapropter, prædictum Principi Hungariæ titulum is penitus cassauit, abrogauit & aboleuit, & bellum contra BETHLENVM publicauit. Hactenus ex diplomate Imperiali, an. 1620. die 10. Decembris, vt dixi, Viennæ dato.

Principis Hungariæ titulus cassatur.

Anno M.DC.XXI. die 22. Ianuarij, BVQVOIVS, gelu niuibusque spretis, *Raditzio* mouit cõtra GABOREM; cuius militẽ è Morauia exturbauit, *Ostra, VVesselio, Stransnitzio, & Scallitzio*, oppidis intra triduũ occupatis.

Buquoius Gaboris militem pellit è Morauia.

Die 29. Ianuarij, Viennam ad Cæsaris aulam idem BVQVOIVS sospes rediit, ab eodem atque vniuersa Nobilitate, summis beneuolentiæ signis, exceptus.

Ineunte mẽse Februário, octoginta quinq; vexilla, in Pragẽsi prælio potissimũ per suos hosti erepta, FERDINANDO Cæsari obtulit. Adeo quidem, vt centum sexaginta numerarentur signa militaria hostibus intra biennium adempta, ac Cæsari à *Buquoio* oblata.

Cæsari vexilla 160. offert.

Non succedente ex voto quadrimestri Commissariorum Imperialium & Hungarorum disceptatione, de pacis conditionibus cũ Bethlenio Gabore, FERDINANDVS

Imperator, paulò post Pascha, secundo Danubio, tormenta aliquot maiora, in Hungariam misit. Paucis postea diebus, Bvqvoivs, cum exercitu viginti quattuor amplius millium, est subsecutus, *Posonium*, vulgò *Presburgum*, Hungariæ metropolim obsessurus. Sed antequam tormenta Bvqvoivs admouisset, ciues sese dediderunt, & militem Cæsareum in vrbe admiserunt. Contigit id sub finem mensis Aprilis. Exinde *Tirnauia*, quæ Strigoniensis hodie Archiepiscopi sedes est, aliaque oppida ac propugnacula pariter ad obsequium redierunt. In rebellione perstitit *Neuheusellia*, seu *Castellum nouum*, oppidum situ, arte, & præsidio Turcico à Gabore munitum: cuius in obsidione Bvqvoivs, magno omnium luctu, occubuit: vt paulò infra dicemus.

Presburgũ & Tirnauia occupat.

Castellum nouum obsidet.

Ferdinandvs Cæsar *Bannum*, vt vocant *imperiale* contra Fredericvm Comitem Palatinum, Ex regem Bohemiæ, Iohannem Georgivm Marchionem Brandeburgensem, cognomento *Iagerdorfium*, Silesiæ ac Lusatiæ turbatorem, Christianvm Principem Anhaltinum, & Georgivm Fridericvm, Comitem Hohenloium publicat, diplomatibus die 22. Ianuarij Viennæ datis: in quibus singulorum acta rebellionis explicat, singulosq; crimen læsæ Maiestatis commisisse declarat. Palatinvs

Bannum Imperiale publicatur contra Palatinum & alios.

TINVS, qui per Marchiam Brandeburgensem, vicinasq; prouincias *errabunda trahens vestigia*, mensibus aliquot latuerat, Banno publicato, sibi metuens, omnibusq; se inuisum sentiens, in Hollandiam, ad auunculum suum MAVRITIVM NASSAVIVM, Principem Aransionensem, cum vxore miser omnibusque exutus, mense Aprili se contulit; gratias scilicet eidem, alterique auunculo suo HENRICO TVRRIANO, Duci Bullonio, acturus, pro præclaro illo consilio, quo ipsum ad capessendam regni Bohemiæ coronam, contra soceri, IACOBI maioris Britanniæ Regis, voluntatem, impulerant. Optasset quidem FREDERICVS, cum coniuge Britanna in Britanniam transmittere: sed vetuit id socer, à genero regios titulos ambiente, itemque à Puritanis, hominibus seditiosissimis, & in Palatinum mirificè propensis, sibi & vnico filio suo fortasse metuens. Itaque in Haga-Comitis pauper & exul FREDERICVS cum vxore, IOANNE ERNESTO, Saxone Vinariensi, & alijs proceribus aliquot profugis, domiciliũ collocauit Batauis, suoque etiam genero grauis: alijs exemplo futurus, ne viuentium regna temerè ambiant, aut alienis consilijs in præceps abripi sese sinant. *Anhaltinus* in Sueciam, alij alio se contulerunt.

Palatinus in Hollandiam fugit.

PALATINO in Hollãdiam turpiter pro-

Principes Vnionis cum Spinula transigunt.

fugo, PRINCIPES VNIONIS, (vt vocabāt) EVANGELICAE à Marchione SPINVLA, qui VVormatiam obsidere parabat, sibi metuentes, mutatis in melius consilijs, de armis ponendis cogitare cœperunt. IOANNE itaq; SVICHARDO, Electore Moguntino, & LVDOVICO Hassiæ Lant-Grauio Darmstadiensi, interuenientibus, IOACHIMVS ERNESTVS, Marchio Brandeburgensis, cognomento *Anspacensis* (qui dictæ Vnionis exercitui cum imperio præerat) & IOANNES FREDERICVS, Dux VVirtenbergensis, cum Moguntiam venissent, tam suo quàm aliorum Principum ac Statuum Vnitorum nomine, cum SPINVLA, Capitaneo, vt loquuntur, generali, exercitus Cæsarei, in Palatinatu, his conditionibus die 12. Aprilis transegerunt:

Ante omnia conuenit inter prædictos Principes & Status, deinceps ab omni hostilitate penitus inter se abstinere, ita vt Principes & Status Vnionis, eorumque exercitus, nullatenus posthac D. Marchionem Spinulam, *neque ipsius copias, aut loca, quæ in eius potestate nunc sunt, neque alios in hoc tractatu comprehensos, aut eorum terras & dominia offendant, neque* Fredericum Palatinum *pecunia, milite, vel alio quouis modo directe vel indirecte per se vel per alium iuuent; eorum antehac initam Vnionem, nec in fauorem* Friderici Palatini, *nec contra* Cæsaream Maiesta-

ieſtatem *prorogent, aut nouam ineant, ſed ante terminum Vnionis effluxum, ſcilicet 14. proximè inſtantis menſis Maij.copias ſuas,ſiue priuatas ſiue communes,ex Palatinatu & alijs ad defenſionem Palatinatus vſurpatis locis educant, & diſcedere faciant,atque* Cæſareæ Maieſtatis *fideles & obedientes Principes & Status permaneant: vt hac de re ſæpius apud Cæſaream Maieſtatem conteſtati antehac ſunt.*

Viciſsim D. Marchio Spinula *nihil poſthac hoſtile tentabit in DD. Vnitorum Principum, & Statuum perſonas,milites,Officiales,ſubditos, arces,ciuitates & terras, nec deprædationibus,exactionibus,excurſionibus,nec alio quouis modo.*

Hoc autem tractatu comprehendentur, tam in concordia Vlmenſi *nominati,quā ceteri Electores,Principes,Status,& Nobiles imperij ſiue Catholici ſiue Euāgelici,nō tamē intēdūt dictæ partes de* terris Iuliacēſibus *hoc loci quidquā diſponere.*

Quantum autem ad Fredericum Palatinum *attinet, (quem ea, quæ hactenus dicta ſunt, non attingunt)dictus* D. Marchio Spinula, *ad requiſitionem* Magnæ Britanniæ Regis,*promiſit ab hinc vſque ad ſupradictum terminum,14. Maij in executione Palatinatus ſibi commiſſa, in perſonis & bonis,ſiue per ſe,ſiue per alium non progredi, ſed eam executionem tantiſper ſuſpendere:hac tamen conditione,quod* Principes Vnionis *efficiēt, ne copiæ priuatæ prætacti Palatini, iam in Palatinatu vel in vicinis locis exiſtentes, interea vllam*

hostilitatem contra D. Marchionem Spinulam,*eiusq́ exercitum,& loca quæ obtinet,aliosq́ fideles Imperij Status,eorumq́ ministros, & subditos exerceant.*

Et ne vicini Principes & Status, eorumq́ subditi, aut alij in ipsorum territorijs, ab vnius aut alterius partis milite grauentur aut lædãtur, promiserunt sæpe nominati Principes vtriusq́ exercitus, serio & certò efficere, vt omnes excursiones, deprædationes, aut quæuis aliæ infestationes in ipsorum terris & prouincijs prorsus inhibeantur & cessent, viarumq́ & commerciorum securitas promoueatur.

Ad quorum omnium maiorem firmitatem, hos articulos sæpe nominati Principes vtriusque partis, vnà cum Principibus interuenientibus, suis sigillis, & subscriptionibus roborarunt : vtq́ à S. Cæsarea Maiestate, *&* D. Archiduce Alberto *confirmentur*, D. Marchio Spinula *quamprimum procurabit. Actum Moguntiæ 12. Aprilis anno 1621. Et infra subsignauerant*, AMBROSIVS SPINVLA, IOANNES SVVICHARDVS Archiepiscopus Moguntinus, LVDOVICVS Lant-grauius Hassiæ, IOACHIMVS ERNESTVS Marchio Brandeburgensis, IOANNES FRIDERICVS Dux VVirtembergensis.

SPINVLAM porrò, pacatis in Germania rebus, ad Belgas reducem, varij varijs Panegyricis, nos isto breui Elogio prosecuti sumus.

AMBRO-

AMBROSIVS SPINVLA natus eſt Genuæ, patre PHILIPPO, nobiliſsimo Venafri Marchione, & matre POLYXENA GRIMALDA, Nicolai Principis Salernitani filia. Fratrem habuit FREDERICVM Spinulam, qui ſub magno illo ALEXANDRO FARNESIO, Parmæ Placentiæque Duce, ordines bello Gallico ductauit. Idem poſtea à PHILIPPO III. Hiſp. Rege, validæ triremium claſsi cum Imperio præfectus, anno 1600. per medias Batauorũ claſſes, vaſtumque Oceanum ex Hiſpania in Belgicam traiecit. At verò dum non modò cum hoſte, ſed cum bruto quoque illo elemento, triremium hic impatiente, Flandriam ac Zelandiam inter, confligando, fortiter dimicat, plurimis hoſtium cæſis, & ipſe, prô dolor, infauſto maioris machinæ globo, ann. 1603. die 26. Maij ſaucius cecidit. *Marchionis Spinulæ elogium.*

FREDERICI amiſsi dolorem mitigauit AMBROSII fratris ex Italia in Belgicam, cum ampliſsimis copijs, paulò pòſt aduentus. Cuius quidem virtus eximia, diuinus generoſi animi vigor, magna ſollertis ingenij vis, ſumma in periculis adeundis audacia, promptum in ijſdem depellendis conſilium, indefeſſa bellicis in expeditionibus vigilãtia, & mira in rebus omnibus induſtria, *Oſtendana* in obſidione primùm emicuerũt. Oppidum iſtud varijs magniſque molibus ac pro- *Spinula Oſtendam expugnat.*

ac propugnaculis (totidem insulis, diceres) Batavi muniendo distinxerant. Nec illud Mars solùm, sed & Neptunus tuebatur, vastusq; Oceanus, ruptis immissus aggeribus, pro obsessis pugnabat, nostrosque arcebat. Obsidione itaque in triennium ductâ, cùm nec claudi nec cingi, adeoq; nec vinci, omnium iudicio, posset oppidum, vnus Ambrosius signum sustulit, & portu fascibus obstructo, ductis item cuniculis, hostibusq; profligatis, paucorum mensium spatio, Ostendam an. 1604. die 22. Septembris expugnauit.

Antuerpiã seruat.

Anno proximè insequenti, duce Mauritio Nassovio, cùm Batavi aggerem VVasianum prope Antuerpiam perrumpere, & Antuerpiam ipsam obsidere tentarêt, tridui spatio, Scaldim fluuium ponte strauit, copijs nostris commodè vltrò citroque traijciendis. Quo prudenti consilio, non Brabantiam modò, quam hostis spe deuorarat, sed & Flandriam ab omni metu liberauit, hostilesque copias, multis priùs cæsis, vela ac tergum vertere coegit. Exinde Scipionem Africanum imitatus, vt ille in Africam, sic ipse in Frisiam ac Transrhenanas prouincias, totam belli molem traduxit, hostemq; nostris à iugulis reiectum, suo in solo cædi, vincique posse demonstrauit. Fidem faciunt *Oldesalia, Linga, VVachtendunca,*

Linga & alia oppida capit.

Craca-

Cracauia, Lochemium, Grolla, Rheinberca, aliaq; oppida milite præſidiario, loci ingenio, atq; arte munitiſsima : quæ MAVRITIO cum exercitu inſpectante, & nequidquam frendente, eodem ipſo anno noſter expugnauit, atque ad deditionem compulit.

Quid amplius? Copijs noſtris hoſtili fraude ac ſeditione militari diſtractis, *Grollam* recens in deditionem acceptam, munitionibus nondum inſtauratis, Batauj obſident. SPINVLA quid agit? Conſilia mox expedit, generoſum militem, in concionem vocatum, allocutione compellat, & per ſæuas imbrium ventorumque tempeſtates, magno atque inuicto animo in hoſtem ducit, ſigna aquilaſque fortiter promouet. Et ecce, panico velut terrore perculſus MAVRITIVS cum ſuis terga vertit, caſtriſq; exutus turpiter fugit, pudenda omne in æuum nota. *Grollam obſidione liberat.*

Inducijs ſtantibus, cũ ORDINES BELGICI confœderati partes Marchionis BRANDEBVRGICI potiùs quã Ducis NEOBVRGICI, primò clanculum, dein apertè fouerent, & huius militem *Iuliaco* expuliſſent, *Duſſeldorpium* (vbi tunc Neoburgici coniux agebat) fruſtra tentaſſent, tractatum Veſalienſem, (vbi de concordia vtrimque agi cœptum) re infecta interrupiſſent, aliaque multa more ſuo ſeditioſa molirentur, SPINVLA à MATTHIA Cæſare,

ciuſque

eiusque fratre Alberto, Belgarum Principe, supremus belli dux constitutus, anno 1614. exercitum, paci publicæ asserendæ, omnium opinione celeriùs conscripsit. Aqvas-Grani itaque, vrbem Imperialem, mandato eiusdem Cæsaris, primò aggressus, eam paucas intra horas ad obedientiam compulit: mox *Vesaliam*, veterem Caluinianorum sentinam, & alteram quasi Geneuam, aliaque oppida Rheno adsita, magna celeritate ac felicitate occupauit.

Aquas-Grani & Vesaliam occupat.

Quapropter Philippvs III. Rex Catholicus heroem fortissimum, optimè de Republica Christiana meritum, nobilissimo Equitũ aurei Velleris collegio primùm, pòst Hispaniæ magnatibus (quos Grandes vulgò nũcupãt) iure meritissimo adscripsit.

Venio ad res nuper in Palatinatu præclarè gestas. Bohemi rebelles, abdicato contra ius & fas Ferdinando II. Austriaco, Fredericvm Electorem & Comitem Palatinum Rheni ad regni coronam euocarant. Pro Palatino stabant *Hassus, Anhaltinus, VVirtenbergensis, Anspacensis, Durlacensis*, & alij Protestantes Vnionis Euangelicæ (vt ipsi vocabant) Principes, itemq; Ciuitates plùs minùs XVI. Imperiales. Philippvs itaque Rex Catholicus, & Albertvs Belgicę Princeps, copiosissimum apud Belgas exercitum, ad inuadendum Palatinatum (dum

Frede-

Fredericus Pragæ frustrà regnum firmare nititur) vireſque hoſtium diſtrahendas, conſcribi iubent.

Cui quidem ſummo cum imperio præfectus SPINVLA, anno 1620. exeunte, menſe Auguſto, in Palatinatum inferiorem irrupit, & paucos intra menſes *Crucenacum*, *Oppenhemium*, *Baccheracum*, *Simmerenum*, *Trarbacum*, *Diſibodimontem*, *Spanhemium*, aliaque oppida ampliùs quinquaginta, partim ad Rhenum, partim ad Moſellam ſita, vix vllo ſuorum damno, occupauit. Et iam *VVormatiæ* (quæ confœderatorum Principum ſedes erat) imminebat, cùm ANSPACENSIS, & VVIRTENBERGENSIS, grauiora metuentes, ſuo ac ſociorum nomine, *Moguntiam* venere, & anno 1621. die 12. Aprilis, ſe ſuaque omnia Cæſari ſubmiſere. *Palatinatum inuadit.*

SPINVLAM ad Belgas reducem ALBERTVS Archidux ſupremum aulæ ſuæ Oeconomum renuntiauit: quæ dignitas in noſtro & Hiſpanienſi palatio eſt omnium prima: vt & PAVLVS V. Papa eiuſdem filium ſecundò genitum AVGVSTINVM S.R.E. Cardinalem trimeſtri antea nominarat. Reliqua victoriarum trophæa poſterior dicet ætas.

Annus hic multis Principibus fatalis fuit. PAVLVS V. Papa, annos ſexaginta octo, & menſes quatuor natus, exeunte Ianuario moritur, *Paulus V. Papa moritur.*

moritur, LXXII. Cardinales viuos post se relinquens. Die 9. Februarij sufficitur Gregorivs XV. Pontifex verè Optimus Maximus, patria Bononiensis, ex illustri Ludouisiorum familia.

Philippus III. Rex Catholicus.

Philippvs III. Hispaniarum & Indiarum Rex Catholicus, die vltima mẽsis Martij, relictis terræ regnis, ad æterna ac cœlestia, vt cõfidimus, euolauit. Fuit enim Princeps verè pius, clemens, pacificus ac bonus. Tres filios, ac totidem filias ex Margarita, Ferdinandi II. nunc Cæsaris sorore, sustulit. Ex his primogenitus Philippvs Dominicvs Victor Crvcivs, anno 1605. die 8. Aprilis. feria 6. Parasceues, natus est Vallisoleti: qui nunc est Philippvs IV. potentissimus Hispaniarum Indiarumque Monarcha: quẽ vt Deus Opt. Max. diu sospitem seruet, ex animó rogamus. Seianis omnibus aula pulsis, habet is primarium sibi Consiliarium D. Balthasarem Zvnigam, virum legationibus, Belgica, Gallica, ac Germanica, itemq; rerum vsu clarissimum: quo nomine est quod non solùm Belgicæ nostræ ac Germaniæ, sed vniuersæ Reipub. Christianæ gratulemur. Carolvs genitus est Madriti, anno 1607. die 15. Septembris; Ferdinandvs autem S.R.E. Cardinalis, & Archiepiscopus Toletanus, in Scuriaco an. 1609. die 16. Maij. Anna, nunc

Lvdo-

LVDOVICI XIII. Francorũ Regis vxor, nata est Vallisoleti, an. 1601. die 22. Septemb. hoc est, dieb. quinq; ante maritũ: MARIA verò in Scuriaco, an. 1606. die 18. Augusti: MARGARITA aũt Lermæ an. 1610. die 24. Maij.

COSMVS II. MEDICAEVS, Magnus Etruriæ Dux quartus mense Februario, moritur, ex *Maria Magdalena*, Ferdinãdi II. Cæsaris sorore, relicto *Ferdinando* filio, Ducatus herede, & alijs aliquot liberis. *Cosmus II. Dux Florentiæ.*

ALBERTVS, Austriæ Archidux, Burgundiæ Brabantiæque Dux, Flandriæ Comes, & reliquarum prouinciarum Belgicarum Princeps laudatissimus, 13. die mensis Iulij, Bruxellis in Domino pijssimè, & animo quã maximè tranquillo, obdormit. Morienti adfuere P. INIGVS BRIZVELA, Doctor Theologus ex ordine Dominicanorum, qui à sacris illi Confessionibus erat, & P. DOMINICVS, Carmelita discalceatus, gente Aragonius, vitæ sanctimonia celebris, quem anno superiore prælio Pragensi interfuisse, & nostris animos ad victoriam obtinendam addidisse suprà commemorauimus. Sepeliri voluit in veste monastica ordinis Franciscani; corpusque suum deponi mandauit in choro V. Sacramenti Miraculosi Bruxellis, cui fuerat deuotissimus; maiorum suorum exemplo. Ceteras eius laudes peculiari Elogio prosecuti sumus. *Albertus Belgarum Princeps.*

CARO-

Carolus Comes Buquoius.

CAROLVS LONGEVALLIVS, Comes Buquoius, *Hercules Belgicus*, Cæsarei exercitus ductor, militia & victorijs clarissimus, annos circiter quinquaginta natus in obsidione *Castelli noui*, quod est munitissimum Hungariæ superioris oppidum, die 10. mensis Iulij, à suis turpiter desertus, tredecim vulneribus confossus, occiditur, magno Reipublicæ Christianæ damno. Vnicum reliquit filium ALBERTVM, annos quindecim natum.

BVQVOIO è viuis sublato, cœptam *Castelli noui* obsidionem nostri turpiter deseruerunt, tormentis sexdecim curulibus hosti relictis. *Tirnauiam* insuper, aliaque oppida per Buquoium recuperata Hungari Germanis paucos intra dies eripuerunt, & Viennam vsque omnia ferro flammaq; vastârunt. Tanti cõstitit, vel vnum BVQVOIVM amisisse. Sed à tristibus ad lætiora, in Galliam transeamus.

Caluiniani, secta Regnis ac Principatibus infestissima, vt nullum in Ecclesia, sic nec in Republica caput ferre possunt. Ante decennium *Iargius*, *Chesbobinus*, eiusque filius, sparsis in vulgus libellis, ad regimen oligarchicum, quod præ monarchico laudabant, *Pictones* sollicitarant: sed capti, iussu Regis, vt merebantur, suspendio vitam finierunt. Anno huius seculi vicesimo primò,

quo

quo iſta commentabamur, *Rupellani*, Hugonottorum in Gallia anteſignani, exemplo Batauorum, ſuaue iugum Regium excutere, nouamque in ipſis regni Galliæ viſceribus Rempublicam conſtituere moliebantur. Vt impium ſcelus auerteret & præoccuparet LVDOVICVS XIII. Rex verè Chriſtianiſsimus, mēſe Maio exercitum inſtruxit, & *Angeliacum S. Ioannis, Neracum, Cleracum*, aliaq; oppida plurima ab Hugonottis inſeſſa expugnauit; & ne in poſterum rebellare poſſent, vtili ſane conſilio, muris ac mœnibus nudauit: *Rupellam* denique, ipſam rebellionis arcem, terra marique clauſit. Enimuerò ſi vmquam aliàs, nunc profectò optimam is habet rem bene gerendi, regnumque ſibi ac ſuis æternum firmandi occaſionem; *Batauis* ſcilicet domi foriſque occupatis, Proteſtantibus *Germaniæ* Principibus per bella ſuperiorum annorum penitus exhauſtis, *Heluetijs* ac *Rhætis* inter ſe tumultuantibus, *Britanno* denique Puritanos (qui idem cum Hugonottis Gallicis, & Gomariſtis Batauicis, de Regibus vniuerſis aut tollendis, aut in ordinem redigendis, impiè ſentiunt) auerſante ac deteſtante.

Rex Galliæ varia Hugonottorum oppida expugnat.

MATTHIA Cæſare, & FERDINANDO Bohemorum Rege, Viennæ agentibus, *Carolus Gonzaga*, Dux Niuernenſis, & alij ſeptemdecim primariæ notæ heroes, in aula

tunc Cæſarea verſantes (quos inter Germani, Galli, Poloni, Hungari, Itali, aliarumq; nationum proceres fuere) Ordinem *Equitum militiæ Chriſtianæ*, ſub patrocinio SS. *Deiparæ, Michaelis* & *Franciſci*, contra Turcas & alios noſtræ Religionis hoſtes, ante biennium inſtituerant. Præclarum hoc inſtitutũ FERDINANDO tunc *Imperatori*, PHILIPPO Hiſpaniæ, LVDOVICO Galliæ, SIGISMVNDO Poloniæ, Regibus, ALBERTO Belgicæ Principi, MAXIMILIANO Bauariæ Duci, Eccleſiaſticis S.R.I. Electoribus, alijſq; Principibus probari, GREGORIVS XV. Pontifex Maximus cum intellexiſſet, illud ipſum diplomate typis Romę edito comprobauit.

Ordo Equitum militiæ Chriſtianæ

Confirmatur à Gregorio XV. Papa.

Gregorius Papa XV. *ad futuram rei memoriam. Regimini militantis Eccleſiæ, nullo licet merito noſtro, diuina diſpenſatione præſidentes, votis illis, per quæ militarium Ordinum, ad fidei Catholicæ propagationem, & defenſionem inſtitutorum, propagationi conſulitur, libẽter annuimus, eaque fauoribus proſequimur oportunis. Supplicationibus itaque pro parte dilectorũ filiorum,* Superiorum Militiæ Chriſtianæ, *nobis per dilectum etiam filium, nobilem virum,* Ioannem Vincentium, Comitem de Arco, *vnum, vt ipſe aſſerit, ex dictæ Militiæ Prioribus, ac eiuſdem Militiæ Oratorem, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, Superioribus prædictis, ſiue ab eis deputatis, vt habitum per dictæ Militiæ fratres geſtari ſolitum perſonis, noſtro & S. R. E.*

temporali dominio ſubditis, exhibere, ſeu exhiberi facere; eiſdemque perſonis, vt ſine vllo fidelitatis, ſubiectionis, vaſallagij, & cuiuſcumque obſequij, Nobis, & pro tempore exiſtenti Romano Pontifici, ac Apoſtolicæ Sedis Legatis, & Officialibus quomodolibet debitorum præiudicio, habitum prædictum ſuſcipere liberè & licitè reſpectiuè poßint, & valeant (dummodo tamen perſonæ prædictæ, in earum & cuiuſlibet illarum ad habitum præfatum admißione, aut alias quandocumque iuramentum non præſtent, quod poteſtati, aut ſuperioritati, vel iuriſdictioni, aut alij cuicumque iuri noſtro & Sedis Apoſtolicæ quomodolibet aduerſetur) Apoſtolica auctoritate, tenore præſētiū, & licētiā & facultatē cōcedimus, & impartimur. Nō obſtātibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſq; cōtrarijs quibuſcūq;. Datū Romæ apud S. Petru ſub annulo Piſcatoris d e 10. Maij 1621. Pōtificatus noſtri an. primo.

Ordinis porrò iſtius militaris inſigne eſt Crux auro intertexta, Melitenſi, ſi formam ſpectes, non abſimilis, *Deiparæ*, & S *Michaelis* imaginibus condecorata. Vide plura in Originibus noſtris Equeſtribus.

Praga de rebellibus 27. ſupplicium ſumitur.

Exemplo ad omnem poſteritatem ſtatuendo, die 21. Iunij, Pragæ publicè in foro de viginti ſeptem rebellibus ſupplicium eſt ſumptum: ex quibus viginti quatuor capite plexi, alij tres ſuſpenſi fuere præſentibus tribus Iudicibus ſeu Commiſſarijs

Imperialibus, Consulibus item Pragensibus, ac Senatu vniuerso. Ex primarijs erant isti: *Ioachimus Andreas*, Comes Slickensis. *VVenceslaus Budeuitius*, Præses Appellationum, *Christophorus* Bohemicæ Cameræ Præses, *Dionysius Schermerus*, arcis Pragensis Præfectus, *Ioannes Iessenius*, gymnasij Carolini Professor (cui & lingua est amputata) & *Leander Ruppelius*, Consiliarius Heidelbergensis. Alij non pauci aut ad perpetuos carceres damnati, aut proscripti fuêre. Talis nimirum solet esse fructus & exitus rebellionis.

Polonorum clades an. 1620.

Anni superioris autumnus Polonis admodum infaustus fuerat. Hos Gratianvs, Valachiæ Moldauiæque Princeps, professione Christianus, in auxilium, contra Turcas ac Tartaros, euocarat. Prælio vno alteroue commisso, victoria penes Scandervm Bassam Turcicum, & Galgam, Tartarorum Præcopêsium Sulthanum, stetit. Periere bis mille quingenti circiter Poloni, atque inter eos flos nobilium procerum: perijt & ipse Gratianvs. Vt cladem atque iniuriam acceptam Sigismvndvs Poloniæ Rex vindicaret, legatos misit ad plerosque orbis Christiani Principes, qui suppetias aduersus communem hostem peterent. His impetratis, exercitum Poloni centum ampliùs millium conscripsêre, &

pri-

primo vere in hoſtes duxêre, Byzantio relicto, & ipſe barbarorum Imperator OSMANES, cum trecentis Turcarum ac Tartarorum millibus, in campum prodijt. Noſtri, etſi viribus impares, in vno alteroq́; tamen prælio ſuperiores menſe Septembri exſtiterunt. Cecidêre ex hoſtibus centum circiter millia, & claſſe ingenti per Coſacos in Pontum Euxinum immiſſa, ipſa barbari Imperij ſedes Conſtantinopolis tremuit. *Victoria an. 1621.*

Fuerat annus ſuperior tot hoſtiū in Germania cladibus inſignis, vt ſpes foret omnes breui oppreſſos iri. Sed annus hic proximè inſecutus, noſtrorum ſocordia ſeu nimia ſecuritate (quæ quidem res ſæpe ſpoliantem iam & exultantem euertit) ſpem in ſollicitudinem vertit IOANNES GEORGIVS, ex Marchionum Brandeburgenſium familia, cognomento *Iagerdorfius*, Frederici Exregis Vicarium ſeſe gerens, vaſtata Morauia, cum exercitu in Hungariam ad GABOREM, victorijs, poſt cædem BVQVOII, inſoleſcentem, menſe Auguſto penetrauit; iunctiſq́ue copijs, Viennam vſque, more Turcico ac Tartarico (quorum & auxilia aderant) omnia ſunt depopulati, Poſoniumq́ue copioſo Hungarorum equitatu aucti obſederunt. 1621. *Poſonium obſidetur.*

ERNESTVS MANSFELDIVS, Petri Erneſti, Belgicæ quondam pro Rege Catholico Gubernatoris, filius nothus, ex Palati-

natu ſuperiore veniens, Bauaris, Herbipolenſibus Bambergenſibus, Spirenſibus, Treuerenſibus, Alſatijs, alijſq; populis pro Cæſare ſtantibus magna damna intulit.

Horativs Veirivs, Anglorum Colonellus, qui *Frederici* copijs in Palatinatu inferiore præerat, agrum ac diœceſis Spirenſis cœnobia non pauca rapinis, cœdibus, ignibus, ferroque barbarum in morem vaſtauit.

Thabor obſidetur, & capitur.

His alijſque rebus confirmati Thaborenses (quod vnicum ferè in Bohemia oppidũ, poſt Pragenſem ſuperioris anni victoriam, ad obſequium compellere noſtri neglexerant) in rebellione perſtiterũt, à Balthazare Marada, Hiſpano militia claro multis menſibus obſeſſi, qui demũ 18. Nouembris eos ad deditionem compulit.

Poſonij obſidio ſoluitur.

Sed animos, hortante atque vrgente per litteras Gregorio XV. Pontifice, noſtri mox reſumpſerunt. Inter alios Svendivs, Baro Germanus, & Caracciolvs Neapolitanus, qui Belgicis, Italicis, alijſque copijs, pro Cæſare, Regis Catholici ſtipendio ac ſumptu, militantibus præerat, menſe Septembri ineunte, *Gaborem*, *Iagerdorfium*, *Turrianum*, *Budianum*, & alios Hungaros fortiter aggreſsi, eoſdem à Poſonio repulerunt.

Maximilianvs Bauariæ Dux, legatum

tum ſuum *Tillium* contra Mansfeldium primò cum exercitu miſit, poſt ipſe in aciem progreſſus, *Ambergam*, *Camum*, & alia in Palatinatu ſuperiore oppida omnia ſubegit, pulſo inde Mansfeldio. *Amberga & Camum capitur.*

GONSALVVS CORDVBENSIS, magni illius Ducis *Gonſalui*, qui pulſis Gallis, regnum Neapolitanum Ferdinando Regi Catholico vindicauit, abnepos, ab *Horatio Veirio*, Spirenſis agri vaſtatione, & ſacrorum in ea diœceſi violatione, irritatus, *Steinenſem* arcem munitiſsimam, haut procul VVormatia ſitam, inſigni aſtu, noſtratium militum opera, menſe Auguſto occcupauit. Ponte ſublicio deinde (qui connexis inter ſe nauibus Oppenhemij hactenus ſteterat) è regione eiuſdẽ arcis, Rheni fluctibus impoſito, cæſis fugatiſq; hoſtibus, *Binsbemiũ*, *Starquebergã*, *Heppenbemiũ*, *VVinbemiũ*, *Lutrã Cæſaream*, aliaque oppida & arces expugnauit. *Arx item Steinenſis.*

PHILIPPVS CHRISTOPHORVS SVTTERENVS, Antiſtes Spirenſis in arce ſua *Vdenbemienſi*, ad Rheni & Saltzæ confluentem (quam ſuperioribus annis *Fredericus* Elector Palatinus, & *Georgius Fredericus* Durlacenſis, alijque confœderati, deiectis munitionibus, vaſtarant) inſtauranda perſtitit, eiuſque tutelam *Eduardo Geraldino*, Hiberno, viro nobili ac forti commiſit. *Vdenhemium inſtauratur.*

Sub idem tempus lætus ex Hiſpania nun-

Hispanorũ victoria ad fretum Herculeum. tius adfertur de duplici Batauorum classe, vna per *Lusitanos* in India Orientali, altera per *Castellanos* ad fretum Herculeum, mense Augusto, die S. Laurentio martyri sacra, duce *Frederico Toleto*, dissipata; multis nauibus partim captis, partim demersis aut exustis.

Ad Mamoram. Haut minùs illustrem ex Mauris victoriam, mense Maio anni eiusdem, Hispani apud *Mamoram* retulerunt. In ora Africæ ad Oceani littus, & Lissi (hodie *Lucus* vocatur) fluminis ostium, iacet Larachium, vulgò *Larache*, arx munita & valida: à qua non procul
1578. Sebastianvs Lusitaniæ Rex, anno superioris sæculi septuagesimo octauo, cum exercitu perijt. Hanc arcem *Muleius Xequus* Maurus pecunia corruptus nostris, anno 1610. die 20. Nouembris, dedidit. Prope eam latebra est, & æstuarium maris, receptus piratis Mauris ac Batauis, vnde vicina Hispaniæ littora infestabant, & in prætereuntes naues grassabantur. Loco & fluuio, qui illac in Oceanum decurrit, *Mamora* nomen. Eum Philippvs III. Rex Catholicus, *Ludouico Fagiardo* cum classe misso, anno 1614. occupauit, arcemque à fundamentis ibidem ædificari, & valido præsidio muniri mandauit. Batauis porrò instigantibus, Maurorum quinquaginta ferè millia, ad arcem expugnandam hac æstate conuenerant, *Hamete Alaixa* ductore: sed *Christophori Lechuga*, qui

præ-

prçſidiarium militem regebat,& *Alfonſi Contreræ*, Equitis Melitenſis, qui obſeſsis arma ac commeatū ex Hiſpania aduexit, virtute repulſi ſunt. Periere ex hoſtibus illa obſidione ad XIV. millia.

Ordines porrò Belgici conſœderati, vt aliquid agere viderentur, menſe Iunio, *Societatem Indiæ Occidentalis* publicarunt: Societatem dico ex ditiorum mercatorum numero conflatam, qui priuatas opes ſuas velut ſymbolas conferant, & cincta armis commercia ad antipodas & alio Sole calentes Indos nauigiis emittant. Sed iſtas ad populum phaleras, & vana puerorum terriculamenta iamdudum nouimus. Et habent profectò, vbi meliùs ac certiùs ſuas Bataui facultates collocent; alterius Societatis Indicę exemplo ac ſucceſſu ſat edocti, quàm ſerò (aut nunquam) ad deducendas rationes ſeu computus veniatur.

Societas India Occidētalis.

Induciis duodecennalibus apud Belgas finitis, cùm Bataui, Zelandi, Friſii, aliiſq; populi confœderati in rebellione perſiſterent, & priores armis agrum noſtrum infeſtaſſent, PHILIPPVS IV. Rex Catholicus ampliſsimas copias in Germania, Lotharingia, Burgundia, Belgiciſque prouinciis conſcribi iuſsit. Exercitu vnum in corpus conflato, SPINVLA Bruxellis die 18. Auguſti diſceſſit, & poſitis ad Veſaliam caſtris, *Henricum*

Iuliacum obsidetur.

Comitem Bergensem, veteranum militem ac ducem, cum parte exercitus, ad Iuliacum (quod *Mauritius Nassauius*, Gallicis ac Britannicis fretus auxilijs, pulso milite Cæsareo, an. 1610. expugnarat) obsidendum misit. Is arcem primò *Reidensem*, situ loci & arte munitissimam, haut procul inde sitam, in deditionem accepit; pòst Rura fluuio, qui oppidum alluit, alium in alueum deducto, valida XVII. propugnacula, ne quà elabi possent obsessi, circumcirca excitauit. Et ne *Mauritius*, qui castra ad Rhenum, Embricam inter & Ræsam, habebat, Iuliacensibus succurrere, aut commeatum inferre posset, SPINVLA ad Vesaliam cum exercitu constitit; & ne otiosus esset, vicina aliquot oppida ad obsequium compulit, & Vesaliensibus in officio perpetuum continendis, arcem nouam, ad oppidi muros, à fundamentis exstruendam curauit.

Ducis Mainij mors, 16. Septemb.

Vt est frequentissimus, & Religionis auitæ studiosissimus populus Parisiensis, sic vltrò ad arma contra Hugonottos facillimè concitatur. Testis Bartholomæi Apostoli festus dies, qui in prouerbium apud Gallos abijt, & XII. ampliùs millia, in tumultu populari, anno 1572. cæsa vidit. Sic illo ipso tempore, quo ista scribebamus, plebs Parisiensis, *Henrici Lotharingi*, Ducis Mainij, ad Montem Albanum, quem LVDOVICVS

Rex

Rex obſidebat, miſerando caſu commota atque exacerbata, *Charentonium* (vicus eſt altero à Lutetia lapide, Caluiniſtarum ad conciones habendas conuenticulis infamis) facto armatorum globo, die 26. Septembris euolauit, & incenſo euerſoque illic templo impio, obuios Hugonottos læſit aut trucidauit; Duce Monbazonio, vrbis Gubernatore, vnà cum magiſtratu, fruſtra obſiſtente. Perempti ſunt in vniuerſum ex vtroque ſexu circiter quadraginta: & plures haut dubiè perijſſent, niſi Monbazonius, & Senatus plebem tumultuantem compeſcuiſſent, vigilijs ad ſingulos vrbis vicos ac portas collocatis. Ne porro ferocientis plebis furor ad plures tranſiret, nonnulli ex tumultuantibus, qui ſuburbanas ad S. Marcellum ædes Hugonottorum ſpoliare conati fuerant, iuſſu Senatus apprehenſi, laqueo vitam finierunt.

Hugonottorum cædes Charentonij.



BOHE-

BOHEMIAE REGVM PRINCIPVMQVE SERIES,

Ex qua liquet, Bohemiæ regnum, iam inde à primis initijs ad nostra vsq; tempora, non electiuum, sed iure sanguinis hereditarium fuisse.

Czechus, gentis & principatus Bohemiæ conditor, sine liberis obijt.

Crocus anno Christi 670. regnare cœpit.

Libussa, Croci filia, an. 710. præstigijs infamis.

Premislaus, Libussæ maritus, an. 722. ex quo coniugio deinceps propagati sunt Bohemiæ Principes.

Nesamislius, Premislai & Libussæ filius, an. 745.

Mnatha, Nesamislij filius, an. 783.

Nogenus, Mnathæ filius, an. 804.

Cresomislius, Nogeni filius, an. 831.

Neclanus, Cresomislij filius, an. 852.

Hostiuitus, Neclani filius, an. 873.

Boriuoius, Hostiuiti filius, primus Princeps Christianus an. 871.

Spitigneus, Boriuoij filius, an. 905.

Vra-

Vratislaus I.Spitignei frater,an.907.

S.VVenceslaus, Vratiſlai I.filius, an. 921. qui Regis titulo per Othonem Imp. delato, vti noluit.

Boleslaus, cognomento *Sauus*, VVenceſlai frater,an.919.

Boleslaus Pius,Boleſlai filius,an.967.

Boleslaus III.Boleslai filius,an.999.

Iaromirius,Boleſlai III.filius,an.1003.

Vdaldricus I.Iaromirij filius,an.1004.

Bretislaus I.Valdrici I.filius, an.1043.

Spitigneus,Bretiſlai I.filius,an.1055.

Vratislaus II.Spitignei frater,an.1601. qui ab *Henrico IV.* Imp.creatus Rex; ipſo facto primus ſe Regem geſsit:et ſi poſtea ad annos.60.titulus is fuerit interruptus.

Conradus I.Bretiſlai frater an.1093.

Bretislaus II. Vratiſlai II. Regis filius, an. 1093.

Boriuoius II. Bretiſlai II.frater,an.1100.

Suatoplucus, ex Othone Bretiſlai I. filio natus,an.1107.

Vladislaus I. Vratiſlai II. Regis filius, an. 1109.

Sobieslaus,Vladiſlai I.frater natu minor, an. 1125.

Vladislaus II. Vladiſlai I.filius,an.1140.qui à *Frederico Barbaroſſa* Imp. creatus eſt Rex II. Bohemiæ. Sed poſt ipſum denuo Regni titulus eſt ſuppreſſus.

Frede-

Fredericus, Vladislai II. filius, an. 1173.
Vdalricus II. Sobieslai I. filius, & Vratislai Regis nepos, an. 1174.
Sobieslaus II. Vdalrici II. frater natu maior, cedente fratre, anno eodem Princeps est factus. Sed hûc restitutus *Fredericus* throno deiecit. Frederico defuncto succesſit
Conradus II. Leopoldi Znoimensis filius an. 1182.
Quo peste exstincto.
VVenceslaus II. Othonis Nigri filius an. 1191. de Principatu cũ *Premislao*, Vratislai Regis filio, contendit. Sed interfecto VVenceslao, & excluso Premislao, succesſit.
Henricus, Vladislai I. filius, ex Episcopo Pragensi factus Princeps, an. 1191.
Vladislaus III. Vladislai II. filius natu minor, an. 1197.
Premislaus, dictus *Othocarus*, Vladislai III. filius natu maior, an. 1197. cedente fratre, fit Princeps: qui à *Philippo* Imp. coronatus est Moguntiæ Rex III. Bohemiæ. Ex quo tempore Regius titulus est continuatus.
VVenceslaus III. cognomẽto *Othocarus*, Premislai filius, Rex IV. Bohemiæ, an. 1231.
Othocarus, aliàs *Premislaus Othocarus*, Rex V. Bohemiæ an. 1254. quem bello vicit *Rudolphus* I. Imperator.
VVenceslaus IV. Rex VI. Bohemię an. 1284.
qui

qui ex *Iuditha*,Rudolphi I.Imp.filia,ſuſcepit filium *VVenceslaum* cognomento *Iuniorem*, & filias duas *Annam* & *Eliſabetham.*

*VVenceslaus V.*cognomento *Iunior*, patri ſuo ſucceſsit, & fuit vltimus Bohemiæ Princeps ex virili poſteritate Premislai Primi. Sororio itaque ſuo in regni hereditate ſucceſsit,

Henricus Carinthiæ Princeps, qui *Annam* VVenceslai IV. filiam duxerat vxorem. Hic poſtea,quòd ab *Henrico IV. Lucebur-gico* confirmationem tempore debito (is ſcilicet prætextus fuit) non petijſſet, regno exutus eſt,& ſuccenturiatus

Ioannes,Henrici IV.Cæſaris filius,ducta *Eliſabetha*, VVenceslai IV. Regis filia natu minore.Ex quo coniugio prodijt

Carolus IV. Imperator & Rex Bohemiæ.

VVenceslaus VI. Caroli IV.filius.

Sigiſmundus, VVenceslai VI.filius, Rex Bohemiæ & Hungariæ,idemq́ue Romanorum Imperator,verè pius, & Reipublicæ Chriſtianæ ſalutaris, vnicam reliquit filiam *Eliſabetham*, *Alberto* II. Auſtriæ Archiduci nuptam.

Albertus Auſtriacus,Sigiſmundi gener hereſq́ue regnorum, ac demum Imperator.

Ladislaus, Alberti filius & heres obijt ſine prole.Habuit aũt Ladislaus ſorores duas,

Annam

Annam & *Elisabetham*,quarum maior *Guilielmo* Saxoniæ Duci, minor *Casimiro* Poloniæ Regi, ex Iagellonica familia, nupserat. Sed vtraque contra ius & fas exclusâ,

Georgius Podiebradius,Hussita,per tumultum, & vehementem *Ioannis Roquesani*, Hussitarum Ministri, orationem est intrusus: quem tamen nec Moraui, nec Silesij vmquam pro Rege agnouerunt. Eo defuncto,

Vladislaus,Casimiri filius,ex *Elisabetha* iuniore Ladislai sorore,in regno Bohemiæ successit,idemque Rex Hungariæ fuit.

Ludouicus, Vladislai filius, Bohemiæ Hungariæque Rex, à *Solimanno*, Turcarum Imperatore, ingenti prælio victus ac cæsus obijt improlis. Eius locum excepit.

Ferdinandus Austriacus, Caroli V. Cæsaris frater, qui *Annam* Ludouici sororem sibi matrimonio iunxerat,post Imperator.

Maximilianus II. Imperator, idemque Rex Bohemiæ & Hungariæ, Ferdinandi filius.

*Rudolphus II.*Maximiliani II.filius.

Matthias,Rudolphi II.frater,anno 1619.sine prole obiit.Patrueli suo succeſsit

Ferdinandus II. Austriacus,Imperator, Caroli Archiducis, Stiriæque Ducis, ex Maria Bauara,filius.

Ex ista Bohemiæ Regum Principumque

serio

ſerie datur intelligi, ab vnoquoque Princi-pe proximum filium, filiam, vel fratrem fuiſſe regni heredem nuncupatum, vt fit in hereditaria ſucceſsione. Ipſa item diſsidia, ac mutuæ inter cognatos de Regno contentiones, certo argumento ſunt Principatum iam inde ab initio fuiſſe hereditarium; quòd eum quiſque tamquam ſibi debitum, non ſuffragio electionis, ſed prærogatiua ſucceſſionis vindicaret.

Porrò ex ipſo CAROLI IV. Cæſaris diplomate diſertiſsimè conſtat, non competere Bohemis ius Electionis, niſi prorſus nullo ex regali Bohemiæ proſapia, ſeu maſculo ſeu fœmina, ſuperſtite. Verba diplomatis ſunt iſta: *Electionem Regis Bohemiæ, in caſu dumtaxat & euentu, quibus de genealogia, progenie, vel ſemine, aut proſapia regali Bohemiæ maſculus, vel fœmella ſuperſtes legitimus (quod Deus auertat) nullus fuerit oriundus, vel per quemcumque alium modum vacare contigerit dictum regnū, ad Prælatos, Duces, Principes, Barones, Nobiles & Communitatem Regni præfati & pertinentiarum eiuſdem, decernimus, pronuntiamus, interpretamur, & præſentis ſcripti patrocinio declaramus, ritè iuſtè & legitimè in perpetuum pertinere.*

Idem CAROLVS IV. in Bulla Imperij aurea cùm declaraſſet, Electoratus omnes eſſe hereditarios, atque inter alios etiam Bohemicum; id tamen amplius Bohemiæ con-

 ceſsit

cesſit, vt deficiente herede, Regnum nō deuoluatur ad ius Imperij, ſicut reliqui Electorum Principatus, ſed Ordines ſiue Status, in euentu iſtiuſmodi, Regem ſibi eligant, qui à Cæſare tamē confirmari & inueſtiri debeat.

Aduerſus hæc & alia Bohemi rebelles vnicum *Georgium Podiebradium* obtrudebant, in quo à CAROLI IV. decreto eſt diſceſſum. Sed, vt ſupra in Regum Serie docui, quidquid tunc tumultuariè peccatum, paulò poſt correctum fuit; VLADISLAO ad regnum vocato, qui ex ſorore *Ladulai* Bohemiæ Regis natus erat. Vt omittam, anno milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, ſub FERDINANDO I. Rege, in publicis Ordinum regni comitijs, conſtitutum fuiſſe, vt iuxta *Caroli IV.* diploma, & *Vladislai* vltimi diſpoſitionem, eiuſdemque *Ferdinandi I.* litteras Reuerſales, an. 1545. datas, in Rege ſubrogādo deincèps procedatur. Quod quidem Ordinum decretum inter regni leges, quas Conſtitutiones vocant, eſt adſcriptum, & poſtea diligenter obſeruatum. In iſtis autem *Ferdinandi I.* Reuerſalibus expreſsè ſic legitur: *Cōſtitutiones Caroli IV. Imperatoris hoc in ſe continēt & cōprehendunt: Si ex Regia proſapia & ſtemate, maſculei & feminei ſexus, legitimè procreatis, nemo ſuperſtes eſſet, libera electio Regis Bohemiæ Statibus eiuſdem regni, & prouincijs ad illud pertinentibus non aliter competeret.*

FINIS.

INDEX RERVM.

G 2 Come-

APPRO-

APPROBATIO.

HIC Commentarius R. D. AVBERTI MIRÆI, S.Th.Licentiati, & Canonici Antuerpiensis, *De bello Bohemico sub Ferdinando II. Romanorum Imperatore*, quia & veritatis enarratione & stili elegantia eximius, meritò typis mandabitur. Datum Bruxellis 27. Augusti 1621.

Henricus Smeyers, Scholasticus Brux. & librorum Censor.

APPROBATIO.

COmmentarius hic de bello Bohemico FERDINANDI II. Cæsaris auspicijs feliciter gesto, Authore Auberto Miræo; nihil continet fidei Catholicæ, aut morum honestati contrarium; dignum itaq; prælo censeo. Scriptum Coloniæ 18. Ianuarij. M.DC.XXII.

Henr. Francken Sierstorpffius SS.Th.D. Gymn. Laurentiani Regens, Librorum Censor.